Notes du mont Royal

WWW.NOTESDUMONTROYAL.COM

Cette œuvre est hébergée sur «*Notes du mont Royal*» dans le cadre d'un exposé gratuit sur la littérature.

SOURCE DES IMAGES

Google Livres

CONFUCIUS
SINARUM
PHILOSOPHUS,
SIVE
SCIENTIA SINENSIS
LATINE EXPOSITA.

Studio & Opera { *PROSPERI INTORCETTA, CHRISTIANI HERDTRICH, FRANCISCI ROUGEMONT, PHILIPPI COUPLET,* } *Patrum Societatis* JESU.

JUSSU

LUDOVICI MAGNI

Eximio Missionum Orientalium & Litterariæ Reipublicæ bono

E BIBLIOTHECA REGIA IN LUCEM PRODIT.

ADJECTA EST TABULA CHRONOLOGICA SINICÆ MONARCHIÆ AB HUJUS EXORDIO AD HÆC USQUE TEMPORA.



PARISIIS,
Apud DANIELEM HORTHEMELS, viâ Jacobæâ,
sub Mæcenate.

M. DC. LXXXVII.
CUM PRIVILEGIO REGIS.



LUDOVICO MAGNO.

REGI CHRISTIANISSIMO.

POSTQUAM ab altero non ita pridem Orbe, Majestatem tuam, REX MAGNE, *adierunt cum insigni apparatu potentissimi Siamensium Regis Legati, exciti videlicet virtutis ac sapientiæ tuæ famâ, quæ remotissimas in oras jamdudum penetraverat; adest nunc ab extremo procul Oriente Princeps è*

Regio Sinensium Imperatorum sanguine, Confucium *appellant, uno Sinensium consensu habitus omnium, qui unquam apud eos floruerunt, Sapientissimus & Moralis Philosophiæ pariter ac Politicæ Magister & Oraculum.*

Ab hujus ore, sicuti quondam pendebant tria Discipulorum millia, ita modo ex ejus effatis amplissimum gubernatur imperium, statuuntur leges, Gentis mores & civilia componuntur officia, denique in ejus doctrina perdiscenda summorum Reipublicæ honorum ac Magistratuum obtinendorum spes una & ratio continetur. Hujus memoriam, libros, nomen ipsum Sinæ omnes, mirificè colunt, ipsíque adeo imperatores qui ad eas, ubi docebat olim, ædes (quæ tanquam sapientiæ sacraria servantur) ejusque gymnasia venerabundi ventitare non dedignantur: nec sane immeritò; quippe qui ab tanto Magistro didicerint Summum cœli, ut vocabat ipse, Imperatorem Regnorum omnium ac Imperiorum moderatorem & arbitrum adorare ac timere, subditos sibi populos æquitate magna & charitate regere, fovere artes, orbem denique Sinensem domi tot jam annos ac militiæ florentem, sanctissimis institutis legibusque moderari.

Hic igitur ille Confucius *tibi se sistit,* REX MAGNE, *curis tuis & Regia liberalitate in Gallias veluti deportatus, & ad Majestatis Tuæ pedes provolutus accedit, palam admiraturus sapientiam tuam, & suam illam, etsi apud populares suos incredibili fama & existimatione jactatam, Tuæ tamen nihilo secius, quam Soli Stellas, decedere confessurus.*

Hærebit ille, opinor, ad primum aditum atque conspectum, & admiratione simul gaudióque defixus repertum sibi tandem

tandem Principem illum dicet, ad quem videndum nequidquam hactenus tanto studio exarserat. Cum enim egregius ille vir eximium, & qualem informabat animo, Imperatorem suis in libris adumbrasset, ac neminem sanè votis suis parem ex avitis Imperii Principibus reperire potuisset, in quem unum omnes regiæ illæ dotes conspirarent, quíque illam numeris omnibus absolutam formam ideamque perfectissimi Principis referret, tunc in eas erupit voces Tái Kî Gîn Expectandus hic Vir *hic est, qui veniet aliquando, & divina quadam & admirabili sapientia præditus talem se exhibebit, in quo nihil nostra, nihil publica desiderare vota possint.*

Nonne ille, si modo revivisceret, ac Te, REX MAGNE, *contemplaretur, illum ipsum esse Te agnosceret, quem prospexisset animo, & incredibili gaudio perfusus, voti se compotem esse factum exclamaret? Nonne tuam in administrando Regno amplissimo sapientiam regibus omnibus proponeret, exempla tuis è moribus, leges ex effatis peteret? Tuam denique pietatem, clementiam, æquitatem, illam æquabilem in tanta rerum maximarum & negotiorum mole mentis ac vultûs serenitatem atque præsentiam cum tanta Majestate conjunctam, Principibus universis pro norma & regula esse vellet?*

Quoniam vero Philosophus ille sapientissimus, solo naturæ ac rationis lumine cognoverat, nihil religione antiquius homini esse oportere, ad eumque scopum unum suam ipse doctrinam disciplinamque referebat, ut mortales vitam omnem è supremi Numinis legibus præceptisque componerent, idcirco nihil ipsi prius aut potius fuit, quam ut sectas & pere-

grina dogmata, quæ in populorum exitium, ac Monarchiarum perniciem nata esse dictitabat, penitus profligaret. Hinc ejusdem ea vox, hodieque inter Sinas celebratissima: Cum hu y tuon, Oppugna heretica dogmata. *Quantam igitur afferret homini pietatis amantissimo lætitiam, siquidem ad hæc felicissima legis gratiæ tempora pertingere potuisset, tua illa Rex tutandæ & amplificandæ Religionis, extirpandæ hæreseos, pietatis propagandæ cura? Quibus Te laudibus efferret, cum hæresim, hostem illam avitæ fidei ac regni florentissimi teterrimam, proculcatam & attritam, edicta, quibus vitam ducere videbatur, abrogata; disjecta templa, nomen ipsum sepultum, tot animarum millia pristinis ab erroribus ad veritatem, ab exitio ad salutem, tàm suaviter, tàm fortiter, tàm feliciter traducta, Galliam denique universam sub Rege Maximo & verè Christianissimo Christianissimam aspiceret?*

Non ille tantùm profectò miraretur ac prædicaret cætera Galliæ tuæ miracula, non tot arces omnibus & artis & naturæ præsidiis permunitas partim à Te dejectas & captas, partim extructas & erectas; non potentissimas & numerosissimas classes quibus Asiæ & Africæ terrorem attulisti; non tot victorias de hostibus reportatas, quibus coronidem gloriosissimam imposuisti publicæ trophæum pacis: non visenda illa, in quibus Regium splendorem & magnificentiam tuam explicas, Palatia; non flumina ultra montes transvecta; aperta & juncta maria; non tot artium & scientiarum gymnasia & seminaria: hæc, inquam omnia, tantam admirationem sapientissimo Philosopho non injicerent, quantam hæc una Religionis, duce Te atque auspice, de Hæresi triumphan-

tis victoria, quam nec tentare quisquam antea sic ausus erat, nec sperare; credere vero vix olim poterit sera posteritas, admirari quidem certe ac prædicare nunquam satis poterit.

Ego vero hujus unius rei & victoriæ tam incredibili famæ præcipuè perculsus huc ab ultimis Sinarum oris adveni, magnum me longissimi Oceani feliciter emensi operæ pretium fecisse ratus, quòd his oculis ea videre mihi contigerit, quæ fama ubique sparserat, quam tamen ipsa re minorem esse deprehendi. Quam dulce mihi jam accidet, favente Deo, renavigare tot maria, revisere optatissimam Sinam & illic ista miracula, quorum testis oculatus extiti, prædicare! vel eorum certe recordatio tot laborum ac periculorum absterget sensum, memoriam delebit, viam redeunti efficiet faciliorem, & quasi complanabit. Jam mihi videor in medio Neophytorum ad me convolantium lætissimo consessu, atque ipsorum etiam Ethnicorum, renarrare, quæ hic viderim, illos arrectis auribus animisque adstare suspensos, obstupescere ad rerum magnitudinem ac novitatem, simulque Tibi, REX MAGNE, *Religioni, & Galliæ congratulari.*

Quibus porro incedent lætitiis, cum accipient suum illum Confucium *tanto à Te in pretio & honore habitum fuisse, ut ei cæteros inter Bibliothecæ Regiæ libros locum esse volueris? eumdem latio sermone donatum, ejus effigiem ac libros necnon etiam & acta principum suorum, non ligneis tantùm illis, quibus Sina utitur, tabulis, sed æreis & elegantissimis excusos; eum denique, qui Sinico tantum in Imperio hactenus erat cognitus, jam per Galliam atque ex Gallia per omnem latè Europam brevi spargendum, ac tanti ab omnibus, quanti par est, ubique faciendum. Quas illi tum Ma-*

jestati Tuæ gratias agent, quibus Nomen tuum laudibus universi, quam fausta comprecatione prosequentur! quæ vota Neophyti certatim pro tua incolumitate; pro felici rerum omnium, quascumque fueris aggressus, exitu; pro florentissimi Regni ac Religionis Catholicæ secundissimo illo cursu nuncupabunt? Et audiet illorum vota fortunabitque Deus Optimus Maximus, talemque Te Gallis & Orbi Christiano diu servabit, qualem Catholica res & Ecclesia tota, qualem probi omnes tam tui, quam exteri vovent ac precantur, atque imprimis, qui præter cæteros esse amat gloriaturque,

MAJESTATI TUÆ,

Devotissimus atque addictissimus;
PHILIPPUS COUPLET
Societatis JESU.

OPERIS

Notes du mont Royal



WWW.NOTESDUMONTROYAL.COM

Une ou plusieurs pages ont été volontairement omises ici.

SCIENTIÆ SINICÆ

LIBER TERTIUS.

Lún Ratiocinantium

Yú Sermones.

VERSIO LITTERALIS
unà cum explanatione.

LIBER hic numero tertius est, inter *sú xū*, sive quatuor libros primæ apud Sinas auctoritatis, & qui maximè teruntur manibus omnium. Distinguitur in decem *kiúen*, id est, partes, seu capita; continetque sententias atque apophtegmata moralia tum à *Confucio*, tum ab hujus discipulis non uno tempore vel loco prolata: quod ipsum libri quoque titulus *Lún yú*, quasi dicant, Ratiocinantium seu philosophantium inter se sermones, non obscurè declarat.

PARS PRIMA.

Fol. 1. pag. 1. §. 1.

ONFUCIUS[1] ait[2]: Operam dare imitationi[3] sapientum, & [4] assiduè[5] exercitare[6] sese in hujusmodi studio imitandi, [7]nonne[8] olim [9]delectabile[9] erit? Quasi dicat: suæ principiis ferè omnibus difficultates insunt ac spinæ; verumtamen si devoraveris istas magno animo viceriſque, tu quisquis sectator es virtutis ac sapientiæ, si exemplis simul ac documentis virorum sapientum ob oculos tibi positis constantiam junxeris cum labore, planè fiet ut recuperatâ paulatim claritate & integritate primævâ naturæ nostræ, insignis etiam facilitas atque peritia sequatur tuam exercitationem, delectatio verò peritiam & facilitatem.

§. 2.

POSTQUAM autem te excolueris tam feliciter hujusmodi cum labore & constantiâ, si dentur[1] tunc sectatores & amici[2] è[3] longinqua[4] regione[5] adventantes[6], consulturi te, atque in disciplinam tuam tradituri sese, famâ scilicet virtutis ac sapientiæ tuæ excitati, [7]nonne[8] tum multò etiam vehementiùs lætaberis[9], & prodes omnino sensum hunc exultantis animi tui?

Pag. 2. §. 1.

VERÙM si planè contrarium acciderit, & cùm talis ac tantus sis, ab hominibus[1] tamen si [2]ignoreris[3], nemo te consulat, suspiciat nemo; tu interim[4] hanc ob causam non[5] affligaris nec indigneris[6]; quippe contentus iis quæ tibi ipse peperisti, & possides securus; nihil autem de his quæ extra te, alienique sunt arbitrii, laborans; [7]nonne[8] perfecti[9] viri[10] consummataeque virtutis hoc erit?

§. 2.

DISCIPULUS *Yeù çù*[1] ait[2]: Quempiam[4] esse[5], sive dari hominem[6], qui domi quidem obtemperet[7] parentibus, & debitis obsequiis officiisque prosequatur[8] majores natu, & tamen[9] foris gaudeat[10] adversari[11] legitimis Magistratibus[12], profectò rarum[13] hoc est atque inusitatum. Rursum non[14] gaudere[15] quempiam adversari[16] Magistratibus[17], & [18] eundem tamen gaudere[19] seditiones[21] ac turbas excitare[20], & perturbare Rempublicam adhuc quidem non[22] accidit[23]

seu visum est & auditum quidpiam hujusmodi.

§. 3.

SUPERIOREM doctrinam confirmaturus idem *Yeu çù*, Vir[1] perfectus[2], inquit, impensiori quodam studio[3] vacat principali[4], sive ei quod quavis in re præcipuum est, & radicis ac fundamenti instar: etenim principali[5] bene[6] constituto ac confirmato, mox[7] inde virtutis officiique[8] lex ceu ex radice firma vividaque prognascitur[9] & succrescit feliciter atque efflorescit: sic privata singulorum, quam dixi, erga parentes suos pietas[10] & obedientia, amorque & observantia erga fratres[11] majores natu, hæc[12] (inquam) duo sunt[13] operum[14] pietatis erga communem quoque patriam, atque observantiæ erga legitimos Magistratus, adeoque publicæ pacis & tranquillitatis radix & fundamentum[15].

F. 2. p. 1.

CONFUCIUS[1] ait[2]: ubi compta[3] est oratio[4], & blanda[5] oris[6] species, ibi parum[7] est probitatis[8]. Id est, qui affectatâ quapiam affabilitate, seu blanditiis nescio quibus, lenociniisque verborum, ad hæc, specioso totius oris habitu ad humanitatem scilicet benevolentiamque mirè composito conciliare sibi student hominum voluntates, necnon famam virtutis ac sapientiæ; parùm interim soliciti ut suæ fronti, oculisque & sermonibus cor ipsum respondeat; hominum hujuscemodi rarus est vel nemo potiùs qui veram cordis virtutem obtineat.

Pag. 2.

DISCIPULUS *çem çù*[1] ait[2]: Ego[3] quotidie[4] de tribus[5] maximè rebus examino[6] me[7] ipsum[8] & rationem exigo; an scilicet pro[9] homine[10] quopiam negotium tractandum[11] susceperim, &[12] non[13] tractaverim illud ac conatus sim conficere eâ quâ par erat cum fide & contentione[14] animi, nec ita prorsus ac si mea res ageretur & non aliena: an cum[15] sodalibus[16] & amicis[17] meis familiariter & amicorum more agens[18], tamen[19] haud[20] egerim eo candore eâque fide[21] quâ oportebat agi, contentus inani quâdam specie benevolentiæ observantiæque, & mendacio veriùs amicitiæ quàm amicitiâ. Denique an doctrinam mihi[22] traditam à Magistro meo non[23] recoluerim[24], eamque exercitaverim[25] impigrè & constanter.

F. 3. p. 1.

CONFUCIUS[1] ait[2]: Ut quispiam feliciter administret[3] mille[4] quadrigarum[5] regnum[6], (quod utique difficile est tranquillè ac feliciter administrare) quinque sunt inprimis necessaria. (De Re-

gulis hîc agit *Confucius*, quorum singuli quadrigas omnino mille tenebantur habere in promptu, & quotiescumque jussisset Imperator in aciem producere.) Primùm solicitè[7] consideratèque tractet res[8] omnes ditionis suæ: nihil, quamvis parvi momenti videatur esse, putet ab se posse negligi; memor ex una Principis inconsideratione provenire non rarò calamitates, quæ & amplissimam ditionem & multis quidem sæculis affligant. Deinde[9] colat[10] fidem ac veritatem, sibique persuadeat hanc esse pretiosiorem gemmam coronæ suæ. Veri sint igitur & sine ambiguitate sermones ejus, adeoque latentis in animo sententiæ non dubii semper indices: maximè verò in decernendis vel præmiis vel suppliciis sectetur id quod æquum est justumque: sic fiet ut subditi vicissim quævis imperata faciant, & quidem alacriter & cum fide faciant. Tertiò largitiones moderetur[11] ac sumptus[12], inutiles superfluosque tollens: sic namque in ærario regio totoque regno opum semper affatim erit. Item[13] amet[14] homines[15] sibi subditos paterno prorsus affectu, opitulando omnibus, quos vel orbitas ac solitudo, vel inopia & fames, aliique casus aut ærumnæ affligunt: sic enim subditi vicissim filiorum instar Principi suo morem gerent, eumque sic verebuntur ut etiam diligant. Denique si quando subditorum manus atque opera poscatur ad extruenda vel restauranda opera publica, imperet[16] hæc subditis[17] opportuno[18] tempore[19]; quo scilicet ruri passim vacatur, non eo quo sementis illos, vel agricultura, vel messis occupat: hoc pacto frugum atque alimentorum copia plerumque suppetet; operaque publica sine publico detrimento alacriter perficientur.

P. 2. §. 1.

CONFUCIUS[1] ait[2]: Fratres[3] natu-minores[4] ac filii-familias[5] si intrò seu domi suæ degunt, tum quidem[6] obediant[7] serviantque parentibus quantâ possunt contentione tam animi quàm corporis: si autem versantur foris[8], tum[9] observent majores-natu[10] propinquos suos & consanguineos, cives item ac populares, iisque sua præstent obsequia: si quid operis negotiique suscipiant, constantiam afferant[11], cœptaque perficiant, proinde maximè semper attendant principio & fini cujusque operis; atque adeo[12] veraces[13] ac sinceri[14] quoque sint, sibique constent in operibus suis: amplo[14] quodam & universali[14] amore[15] diligant omnes[16], cum omnibus pacem colant; sic tamen[17] ut arctiori quodam vinculo benevolentiæ[18] & familiaritatis[18] jungantur optimis[19] quibusque viris & probatissimis[19]: & hæc quidem sunt adolescentum officia, maximè necessaria; quibus exactè præstitis[20] si [21]suppetat[22] eis pauxillum otii ac virium[23], tum laudabiliter[24] adhibebunt illas[25] in addiscendis[26] litteris[27], & mandandis memoriæ priscorum Sapientum Majorum nostrorum odis, quibus egre-

gia

gia planè documenta cujusvis ætatis institutioni, sed inprimis adolescentiæ, perapposita continentur.

§. 2.

DISCIPULUS çù[1] hiá[2] ait[3]: Si delectetur[4] quis viris probis ac sapientibus[5] sic ut commutet[6] & quasi transferat in hos amorem quo ferri solet in res visu[7] pulchras[7] ac delectabiles[7]: id est, si cum eo impetu atque ardore amoris appetat adolescens virtutem ac sapientiam, quo ætas ista plerumque rapi solet ad oblectamenta sensuum. Item in præstando[8] probi filii officio[8] tam erga patrem[9] quàm matrem[10], si valeat[11], seu velit & conetur exhaurire[12] suas[13] vires[14]: ad hæc, si debita subditi officia[15] sic præstet adversus suum Regem[16] aut Principem, ut valeat[17], sive non dubitet exponere[18] propriam[19] quoque personam[20] ac vitam quotiescunque res ita postulaverit. Denique cum[21] sodalibus[22] & amicis[23] suis vivens familiariter[24] si tales instituat sermones[25], ut[26] ubique locum habeat[27], seu eluceat fides[28] ipsius ac veracitas; quisquis hujusmodi fuerit, tametsi[29] fortè sint qui dicant[30] eum necdum[31] studuisse[32], ego[33] certè semper[34] & sentiam & dicam[35] studuisse[36], & præclarè quidem esse doctum. (Non vult çù hiá angi animo vel affligi adolescentes illos, quibus à domesticis officiis & curis tuendæ vitæ, quod apud homines tenuioris fortunæ non rarò usuvenit, nihil est vacui temporis quo litteris dent operam: obtineant modò ipsi sedulòque exerceant virtutes illas, quarum gratiâ potissimùm litteræ discuntur, disci certè quidem par est; censebuntur enim, quamvis rudes litterarum fuerint, non ipsis tantùm litteris, sed etiam sapientiâ, quæ perpetua virtutis comes est, feliciter instructi.)

F. 4. p. 1. §. 1.

CONFUCIUS[1] ait[2]: Probus[3] vir[4] si idem non[5] sit vir admodùm serius, habeat quoque cordi exteriorem gestuum motuumque omnium moderationem & gravitatem[6], quæ auctoritatis ac reverentiæ conciliatrix est; sed è contrario gaudeat incompositè vagari, & jocis nugisque indulgere; profectò[7] non[8] habebit inter suos auctoritatem[9], quin imò despicabilis iisdem reddetur, & scientias[10] ac disciplinas, quas tanto studio & labore acquisivit, sanè[11] non[12] diu conservabit[13].

§. 2.

ABSIT tamen ut solâ contentus exteriori compositione, de interiori, quæ longè præcipua est, minùs laboret: quin imò primum[1] præcipuumque ipsius studium poni debet in cultu & compositione ipsius animi; tametsi non cadat sub oculos aspectumque hominum: nihil igitur æquè sit cordi, ut cordis[2] sinceritas ac fides[3].

P. 2. §. 1.

NE[1] contrahas[2] amicitiam ac familiaritatem cum quopiam qui sit [3]deterior[4] quàm sis tu[5] ipse; quippe damno tibi futuram, non usui: imò quos te meliores esse viros cognoveris, hos sectare, his jungere.

§. 2.

MEMOR interim conditionis humanæ, quæ imbecillis est pronaque in lapsum, & peccare facilis; si te peccare[1] contigerit, tum[2] quidem ne[3] timeas[4] dubitesve corrigere[5] quod peccatum est, & cum nisu quoque ac labore surgere, perruptis generosè vinculis ac difficultatibus, quibus impediri te sentis ac deprimi.

§. 3.

CEm[1] çù[2] ait[3]: Qui Rempublicam gubernant, ac cæteris exemplo suo prælucere debent, siquidem exacti[4] sedulique fuerint in observatione rituum funebrium, quando contigerit parentes eorum vitâ[5] fungi; tum verò lugentis animi sensu, necnon splendore quodam & apparatu justa illis persolvendo, renovent[6] item piam illorum memoriam[6], & annuos ritus atque parentalia, quamvis à multo tempore[7] jam diem[7] obierint, fiet sanè ut extenuata jam lapsu vitioque temporum populi[8] virtus[9] (quod ad pietatem observantiamque filialem spectat) restituatur[10] pristino suo vigori atque amplitudini[11]; & subditi omnes ad exemplum eorum qui magistratum gerunt, se componant. Tacitè nonnullos hîc arguit, qui in parentum suorum funere parcebant sumptibus, tametsi lamentis lacrymisque non parcerent.

F. 5. *p.* 1. §. 1.

DISCIPULUS çù[1] kin[2] quærit[3] ex[4] condiscipulo çù[5] cúm[6], dicens[7]: Magister noster [8]*Confucius*[9] accedens[10] ad[11] aliquod[12] regnum[13], haud[14] dubiè mox cognoscit[15] quænam sit illius[16] regni administrandi ratio[17]: quæro nunc abs te, num eam ipse ab Rege vel ab alio quopiam exquirit[18] curiosus? an[19] fortè Rex eam ultrò[20] communicat cum ipso?

§. 2.

Cù[1] cúm[2] respondet[3]: Magister noster [4]*Confucius*[5] suâ illâ facilitate[6] morum ac suavitate[6], ad hæc mansuetudine[7], necnon observantiâ[8] reverentiâque eorum quibuscum agit, prudenti item moderatione[9], modestiâ[10] submissioneque animi, his[11] inquam pulcherrimis artibus, cùm Optimatum Regumque sibi gratiam & benevolentiam

pariat, ac penitus irrepat in eorum sensus ac voluntates, hoc assequitur[12], ut ab eis non ultrò tantùm de administratione Reipublicæ edoceatur, sed studiosè etiam consulatur. Quæro nunc igitur vicissim abs te, hæc ars industriaque [13]Magistri[14] nostri, & indagandarum[15] rerum[15] modus, hic[16] nonne diversus[17] est ab[18] eo quo homines[19] vulgò quæ secreta sunt indagant[20] & exquirunt?

P. 2.

CONFUCIUS[1] ait[2]: Ut certi quidpiam cognoscas, ac tecum ipse statuas de obedientia filii-familias, primùm quidem dum pater[3] superstes[4] est, observa[5] quò maximè propendeat ipsius[6] pueri animus, quò studia[7] ferantur: quid agat autem, non est quòd curiosiùs observes; quippe cùm tunc non sit juris sui atque arbitrii, aget utique quod jusserit pater quamvis invitus ac nolens: verumtamen ubi jam pater[8] è vivis[9] excesserit, tum scilicet observa[10] quid ipse[11] filius agat[12], quam suscipiat vivendi rationem. Certè per tres[13] annos[14] si is non[15] immutaverit[16] [17]paternum[18] rectè vivendi[19] institutum, (nam si pater ab eo quod rectum & honestum est aberravit, haudquaquam putet filius paternis se vestigiis insistere oportere, *inquit Colaus*) tunc sanè poterit[20] nuncupari[21] obediens.

F. 6. p. 1. §. 1.

DISCIPULUS *yeù*[1] *çù*[2] ait[3]: Sicut toleranda non est juris[4] officiique violatio, sic in officiorum usu[5], & dum jus aliquod exigitur, placabilitas[6], moderatio & longanimitas[6] obtinent[7] primum[8] locum. Ex priscorum[9] quidem Regum[10] sententia[11] atque instituto in hujusmodi[12] moderatione atque humanitate constituebatur[13] omnis decor[14] atque venustas officiorum, & quascunque tractabant illi res minores[15] majoresve[16], omnes inde[17] procedebant: omnia omnino tam prudenti atque amabili suavitate condiebant ac temperabant, adeoque ad optatum quoque finem feliciter perducebant.

§. 2.

EST[1] hîc tamen quod[2] prudenter non[3] facias[4], sive quod vitare te oporteat, velut extremum quoddam ab aureâ mediocritatis regulâ aberrans: si videlicet perspectam[5] habes regiam illam plenamque humanitatis & clementiæ facilitatem[6], quot item quantasque utilitates afferre soleat, jamque adeò exarseris illius exercendæ desiderio; verumtamen[7] illam facilitatem[8] non[9] secundùm[10] regulas[11] officiorum[12] quæ uniuscujusque sunt propria, moderaris, peccabis identidem: adeoque est hîc quod utique[13] non[14] conveniat[15] facere[16]. Vult nos, dum comitatem beneficentiamque exercemus, cum judicio, consideratè constanterque exercere; non autem temeritate quadam,

ſine judicio vel modo erga omnes, vel repentino quodam quaſi vento, impetu animi concitatos.

P. 2. §. 1.

IDEM *yeù*[1] *çù*[2] ait[3]: Promiſſum[4] pactumve quo te alteri obſtrinxiſti, ſi accedit[5] ad[6] juſtitiam[7], ſive non alienum ſit ab æquitate & honeſtate; verbo[8] tuo par[9] erit te[10] ſtare & præſtare datam fidem. Verùm ne cogaris aliquando vel fidem fallere, vel certè violare juſtitiam, ante omne pactum omnemque ſponſionem diligenter examina[1], juſtitiæ-ne conſentanea ſint. Rurſus comitas atque obſervantia[11], quibus alios ipſe proſequeris, ſi appropinquent[12] [13]officiis[14], id eſt, ſi conjungantur cum ea moderatione ac prudentiâ quam ratio officiorum cuique debitorum flagitarit, procul[15] amovebis abs te ruborem[16] & probrum[17]; nec erit periculum, ne vel importunus atque ineptus eſſe videaris dum exceſſu peccas, vel agreſtis aut ſtolidè ſuperbus dum peccas defectu. Denique ad amicitias quod attinet ac patrocinia[18], quibus nitare, eos viros haudquaquam[19] neglige[20], quos ſua[21] ſpectata fides ac probitas amore[22] dignos reddit, quibus adeò[23] poſſis[24] uti[25] patronis ac defenſoribus in omni caſu ac fortuna.

§. 2.

CONFUCIUS[1] ait[2]: Quiſquis eſt virtute[3] præditus[4], dum potu[5] ciboque[5] reficitur, non[6] hoc[7] agit ut ſaturetur[8] oppleatque ſe & ingurgitet[8], ſed ut vivat vireſque reficiat: in ædibus[9] etiam quas habitat[9], non[10] ſectatur[11] impenſiùs vel commoda[12] ſua vel delicias. Ad hæc impiger[13] ac ſedulus eſt in[14] obeundis[15] negotiis, &[16] cautus ac prudens[17] in[18] verbis[19]: & talis cùm ſit, haudquaquam tamen ſibi vel placet ipſe vel fidit, ſed ultrò[20] adit & ſtudioſè ſectatur viros ſapientiâ[21] præditos ac virtute[22], &[23] horum conſiliis & exemplis ceu regulâ quâpiam dirigitur[24]. Revera quiſquis eſt hujuſmodi, poteſt[25] dici[26] [27]Philoſophus[28]; & hoc ſufficit ut talis dicatur.

F. 7. *p.* 1. §. 1.

DISCIPULUS *çù*[1] *cùm*[2] percunctans[3] à *Confucio*, ait: Si quiſpiam ſit pauper[4], & [5]tamen ſublevandæ paupertatis gratiâ haud[6] aduletur[7] cuipiam; divitiis[8] affluat, nec[10] tamen[9] extollatur[11] ſuperbiâ, de hujuſmodi[12] quid cenſendum[13], ô Magiſter. *Confucius*[14] reſpondet[15]: Suâ dignus laude[16] eſt is quidem, non is tamen qui impleverit numeros omnes veræ laudis veræque virtutis; adeoque necdum[17] comparandum[18] cum eo qui pauper[19] ſit, &[20] ſuâ illâ paupertate contentus gaudeat[21]; dives[22] ſit, &[23] tamen gaudeat[24] officiis[25]; manſuètè ſcilicet moderatèque ſe gerens, ſine faſtidio vel arrogantiâ, & in omnibus obtemperans rationi.

§. 2.

§. 2.

DISCIPULUS *çù*[1] *cúm*[2] accepto hoc responso mox ait[3]: Antiquo poëmate[4] dicitur[5]: Ceu[6] cædens[7], ceu[8] limans[9] ossa; ceu[10] scalpens[11], ceu[12] poliens[13] lapillos: quod igitur modò factum est abs te, ô Magister, dum propositas à me virtutes ceu lapides pretiosos, sed etiamnum rudes quodammodo expolivisti; nonne est[14] hoc ipsum[15] quod isto carmine significatur[16]?

P. 2. §. 1.

CONFUCIUS[1] hîc collaudans suum discipulum ait[2]: O mi *Sú*[3] (vulgare nomen est ipsius *çù cúm*) nunc[4] primùm potero[5], sive audebo tecum[6] agens, citare[7] Priscorum carmina[8] atque auctoritates quamvis explicatu difficiles: video namque te valere ingenio, qui simul atque ego proposui[9] hanc[10] modò memoratam[11] sententiam meam, Priscorum auctoritate sanè propositâ significasti id quod feceram, & simul[12] assecutus[13] es quæ ipse nondum[14] profatus eram.

§. 2.

CONFUCIUS[1] ait[2]: Non[3] angatur[4] quis instructus verâ virtute, verâque philosophiâ, nec cruciet sese quòd homines[5] haud[6] eum[7] norint[8]; adeoque nec operâ ipsius & eximiis talentis utantur, maximè cùm hoc sit libertatis arbitriique alieni: sed angatur[9] potiùs & affligatur quod ipsemet non[10] perspectos[11] habeat homines[12], uti par erat habere; adeoque facilè possit in eorum delectu ad amicitiam aliaque officia errare; nec sciat quos fugere, quos sectari conveniat.

F. 8. *p.* 1. §. 1.

CONFUCIUS[1] ait:[2] Quisquis[3] regit[4] cum[5] virtute[6], præclaro subditis suis exemplo constanter prælucens, planè est[7] instar[8] septemtrionalis[9], id est polaris stellæ[10]: ipsa persistit[11] suo[12] propè immota loco[13], cùm[14] interim reliqua[15] omnia quæ perenni motu circumaguntur sidera[16] illam respiciant[17].

§. 2.

CONFUCIUS[1] ait[2]: Odæ[3] trecentæ[5], sive doctrina quæ trecentis priscorum Sapientum odis continetur, unico[6] verbo[7] totæ comprehenduntur[8], dum dicitur[9]: Nostra mens omnis & cogitatio[10] sit absque[11] ulla pravitate[12]; quippe si id quod turpe vel iniquum est, ne primâ quidem cogitatione delibamus, multò minùs illud reipsa factove aliquando suscipiemus.

P. 2. §. 1.

CONfucius[1] ait[2]: A Rege aut Gubernatore si dirigantur[3] subditi, atque in officio contineantur per[4] solas leges[5]; qui has tamen non observarint, nihilominus in officio[6] contineantur per[7] terrores atque supplicia[8]: populus[9] tunc quidem servili metu compulsus abstinebit[10] sese à delictis gravioribus; sed[11] profectò more improbi cujusdam servi, sine[12] pudore[13] scilicet ac vero criminum odio; atque adeò non diu in officio persistet: persistet enim violenter & timore magistro, qui utique malus officii magister est.

§. 2.

CONTRA verò si regas[1] ac dirigas illos per[2] unam ferè virtutem[3], virtutis ipsemet omnibus exemplum, ad hoc proculdubio se component omnes: & quoniam non est eadem conditio omnium, neque esse par virtus potest; tu siquidem prudentiâ atque humanitate tuos contineas[4] si modereris[5] subditos per sua quemque officia[6], atque ita socies[7] omnes vinciasque, planè fiet ut teneantur ipsi non modò ingenuo quodam pudore[8] metuque filiali ne peccent; sed[9] ultrò quoque & alacriter ad omnem virtutis laudem contendent[10] atque pervenient.

F. 9. p. 1. §. 1.

CONfucius[1] ingenuè suis exponens quos in philosophiæ studio progressus ætate procedente fecerit, ait[2]: Cùm mihi[3] decem[4] essent[5] & quinque[6] ætatis anni, protinus[7] applicui[8] animum ad[9] perdiscenda[10] majorum virorum instituta sive philosophiam.

§. 2.

ANNOS triginta[1] natus jam[2] constiti: eas inquam radices egeram ut consisterem[3] firmus in suscepto virtutum sapientiæque studio, neque res ulla extra me posita avocare animum meum ab illo posset.

§. 3.

QUADRAGENARIUS[1] jam[2] non[3] hæsitabam[4] ampliùs: evanuerant dubiorum nubila: connaturales enim rerum convenientias habebam perspectas, & quid singulis inesset perfectionis vel imperfectionis, intelligebam.

§ 4.

QUINQUAGENARIUS[1] protinus[2] cognovi[3] cœli[4] providentiam[5] atque mandatum[6], & suam rerum singulis à cœlo inditam esse

naturam, vim, rationem; cujus adeò naturæ perscrutabar ipse perfectionem ac subtilitatem; indagabam quoque originem, & quæ tandem illius esset causa, intelligebam.

§. 5.

SEXAGENARIO[2] mihi jam[3] aures[4] erant faciles[5] & secundæ[6], expedita scilicet ac peracuta vis intelligendi, & assiduis tot annorum studiis & exercitationibus excultus animus, optimisque præceptis & disciplinis imbutus, sic ut facilè clarèque perciperem quidquid alii vel disputarent, vel ipse legerem.

§. 6.

AD extremum [1]septuagenarius[2] longæ meditationis[3] victoriæque mei ipsius beneficio sequebar[4] quod[6] cor[5] meum appetebat[7]; nec[8] tamen excedebam[9] regulam[10], seu terminos transiliebam honestatis rectæque rationis, cui jam sine luctâ molestiâve appetitus meus obtemperabat.

F. 10. *p.* 1. §. 1.

Mém[1] *y*[2] *çù*[3], unus Præfectorum regni *lù*, consulit[4] *Confucium* de obedientia[5] quam filii parentibus suis debent, in quo scilicet ea consistat? *Confucius*[6] respondet[7]: In hoc consistit ut quis non[8] repugnet[9]. Hoc audito Præfectus abiit, existimans fortasse dixisse Philosophum quidquid dicendum haberet.

§. 2.

IGITUR *fân*[1] *chi*[2] discipulo eidemque aurigæ[3] suo *Confucius*[4] rem significat[5] dicens[6]: *mém*[7] *sûm*[8] (idem est qui *mém y çù*) quæsivit[9] de obedientiâ[10] ex[11] me[12], in quo illa consisteret? Ego[13] verò [14]respondi[15], Ut quis non[16] repugnet[17]. Quo audito, confestim abiit.

§. 3.

Fân[1] *chi*[2] ait[3]: Quis[4] obsecro sensus[5] est tui istius responsi, ô Magister? *Confucius*[6] declarans illud sic ait[7]: Vivis[8] parentibus morem gerat ac serviat[9] filius debitis cum[10] officiis[11]: mortuis[12] similiter justa persolvat, eosque funeret[13] debito cum[14] ritu[15] atque apparatu: quotannis denique oblationes faciat sive parentet[16] secundùm[17] rationem rituum[18] & officiorum funebrium. Hæc inquam faciat, & implevisse numeros omnes filialis obedientiæ censendus erit. Non igitur in hoc eam constituo, ut nunquam mandatis parentum suorum repugnent filii; (cùm evenire possit, ut hæc cum æquitate ac ratione pugnent, quibus adeò nequaquam sit parendum; cùmque functis vitâ parentibus suus tamen adhuc obedientiæ & pietati locus

sit) sed ut nunquam pugnent peccentve contra officium quod à probo filio tam leges & instituta, quàm ratio ac natura ipsa pro conditione cujusque postulat. In regno *lù* tres Optimatum familiæ *mém sũn*, *xõ sũn*, & *kì sũn* tempestate illâ funebres Regulorum ritus usurpabant, quorum arrogantiam insolentiamque Philosophus hîc damnat.

P. 2. §. 1.

Mém[1] uù[2] pe[3], filius dicti *mém sũn*, quærit[4] ex *Confucio*, in quo consistat obedientia[5]? *Confucius*[6], qui non rarò dare consueverat apposita percunctantium moribus vitiisque responsa, ceu morbis sua pharmaca, respondet[7] in hunc modum: Pater[8] & mater[9] dumtaxat suorum[10] liberorum ægritudine[11] affliguntur[12]. Quisquis ergo laudem expetit filialis obedientiæ, caveat in primis ne libidine, vel intemperantiâ, similibusque vitiis vires ac valetudinem pessumdet, ac bonis parentibus si non acerbos luctus, graves certè curas afferat. Adolescens iste natus in copiosâ lautâque domo, cùm intempestivis epulis aliisque vitiis esset deditus, valetudinem ac vitam in discrimen adducebat.

§. 2.

Discipulus *çù*[1] *yeû*[2] quærit[3] item ex *Confucio*, in quo posita sit veræ obedientiæ[4] ratio? *Confucius*[5] respondet[6]: Hac[7] ætate nostrâ obedientes[8] vulgò hi[9] dicuntur[10], qui possunt[11] alere[12] parentes suos; sed profectò si nihil præterea requiritur, à brutis quoque animantibus obedientis nomen ac laudem petere quis poterit: quippe si agamus[13] de[14] canibus[15] & equis[16], hi quoque omnes[17] possunt[18] habere[19] qui eos alant[20]: atque adeò si[21] desit reverentia[22]; si inquam cura ista sustentandorum parentum non ab amore proficiscatur & honore filiali, ecquid[23] erit unde[24] petatur discrimen[25] inter sustentationem patris, & domestici canis vel equi?

F. 11. *p.* 1. §. 1.

Discipulus *çù*[1] *hiá*[2] similiter quæstionem[3] instituit de obedientia[4] filiali. *Confucius*[5] respondet[6]: Oris[7] alacritas, sive constans alacritas illa filialis obedientiæ quæ adeò in ipsa fronte totoque ore amantis ac reverentis filii reluceat, difficilis[8] est illa quidem, sed profectò nota propè certa veræ germanæque virtutis. Obsequia quippe domestica præstare filii vel inviti atque inobedientes possunt: uti cùm domi quidpiam est[9] faciendum[10], fratres natu[11] minores ac filiifamilias[12] utique subeunt[13] majorum loco id quod laboriosius[14] est: rursus cùm suppetunt[16] vina[17] & dapes[18], tunc[19] proculdubio tam parentibus quàm fratribus natu[20] majoribus natu minores officiosè ministrant

niſtrant[21] epulas; ſed[22] hi an[23] idcirco[24] ſtatim cenſeantur[25] obedientes[26] eſſe? Enimverò ſi non hæc promptè, conſtanter, & cum alacritate quâdam animi corporiſque præſtiterint, obedientiæ veræ nomen ac numeros haudquaquam impleverint.

§. 2.

COnfucius[1] ait[2]: Ego[3] cum[4] diſcipulo meo *hoêi*[5] diſſero[6] quandoque per totum[7] diem[8]; ille verò ſic me audit ut nihil[9] objiciat[10] unquam vel diſſentientis inſtar vel dubitantis, prorſus[11] ut ſtolidus[12] eſſe videatur, & qui nihil eorum quæ dicuntur capiat: verumtamen ubi à me receſſit[13], tunc[14] ego ſtudioſiùs hominem obſervans[15] examino quid is agat privatim, & ipſum[16] primùm quidem ſilentio[17] & per otium meditari quæ à me ſunt diſputata; deinde[18] verò ſic agere, ſic loqui, planè ut intelligam eâ facultate[19] inſtructum eſſe, ut[20] non modò perquam feliciter percipiat ac penetret omnia quæ doceo, ſed eadem rebus ipſis factiſque palàm exerceat ac manifeſtet[21]. Enimverò diſcipulus meus *hoêi*[22] haudquaquam[23] ſtolidus[24] aut rudis eſt.

P. 2. §. 1.

COnfucius[1] ait[2]: Probos ab improbis diſcernere ſæpe eſt difficillimum. Ut tamen diſcernas, primùm quidem obſerva[3] is[4], quem perſpectum vis habere, quid[5] agat[6] rerum ac moliatur: improbi namque ferè committunt quæ iniqua ſunt ac turpia; probi verò quæ cum honeſtate juſtitiaque ſunt conjuncta: ſed quoniam hæc non ſunt omnino certum probitatis argumentum,

§. 2.

PEnitiùs inſpice[1] & conſidera attentiùs operis cujuſque finem; ipſi[2] quo[3] animo[4] ſcilicet quove conſilio quæ honeſta juſtaque ſunt faciant; quippe ſi fictè ſimulatèque, ſi pravo perverſoque conſilio, quamvis optima ſint quæ agunt, probi tamen cenſeri, quando ſic agunt, haudquaquam poterunt.

§. 3.

SEd neque hîc conſiſtere poterit quiſquis errare non volet: erit illi procedendum ulteriùs & exquirendum[1], is[2], qui probus eſſe videatur, in[3] quo, ſive quibus in rebus ſtudiiſve conquieſcat[4]: ſi enim quæ facit, cum fide juſtitiaque, quæ item bono fine atque conſilio, parùm tamen volens & quaſi per vim coactuſque faciat, ſic ut animus ipſius non ex ipſa virtute vel honeſtate operis, ſed aliunde quietem ſuam & oblectamentum petat; certè nec conſummata dici poterit probitas illa, nec eſſe, qualiſcunque tandem fuerit, diuturna.

§. 4.

POrrò si quis usus fuerit hujusmodi animadversione atque examine, eum homines[1] quo[2] pacto lateant[3]? eum homines[4] quo[5] pacta lateant[6]? quomodo non perspectos habeat? facilè profectò, ac citra periculum erroris, probos ab improbis, à vitio virtutem discernet.

F. 12. *p.* 1. §. 1.

CO*nfucius*[1] ait[2]: Si quis assiduè recolat[3] exercitetque vetera[4], sive ea quæ memoriæ quondam mandavit ac didicit, atque[5] hoc modo per se assequatur identidem, sive deducat[6] nova[7] (uberes quippe sunt atque inexhausti fontes Veritatis atque Philosophiæ) [8]poterit[9] is ad insignem quandam doctrinam pervenire & evadere[10] magister[11] aliorum.

§. 2.

CO*nfucius*[1] ait[2]: Perfectus[3] vir[4] non[5] est vas[6], sive non est vasis atque instrumenti instar, ad unum alterumve dumtaxat usum accommodatus; sed cùm sit instructus copiâ quâdam atque amplitudine variarum dotum, idoneus est ad res quamvis magnas multasque perficiendas.

Diverso quondam sensu Confucius, *cùm in avitam Regum aulam esset ingressus, ac vas quoddam videret jam inclinatum pronumque in casum, suspirans, Vas (inquit) vacuum, vas item redundans liquore inverti facile est; vas semiplenum tutò rectèque consistit. Aderat hæc dicenti* çù lú *discipulus; explanari sibi petit sententiam. Tum* Confucius: *Si Rex (inquit) vel à virtute sit vacuus, vel præsidentiâ quâdam superbiâque plenus & quasi redundans, erit is in quævis mala prolabi facilis, regnumque unà cum suo Principe proclive in ruinam. Contrà verò si Rex egregias naturæ suæ dotes optimis quoque disciplinis ac scientiis exornarit, nec tamen usquequaque placeat sibi, memor, multa cùm sciat, plura tamen ab se ignorari; quamvis item multa existant merita sua, virtutes multæ, semper tamen laudes alienas posthabeat propriis; opibus denique & potentiâ quantumvis valeat, sic tamen se gerat, quasi mediocria sint omnia: cum hac prudentia & moderatione magnitudineque animi quisquis regnabit, regnabit securus, ibitque medio tutissimus, & eximia naturæ fortunæque dona, quæ multis solent esse fraudi, ipsi gloriæ atque emolumento erunt.*

§. 3.

DIscipulus *çù*[1] *cúm*[2] quærit[3] ex *Confucio* de viro[4] perfecto[5] cujusmodi nimirùm sit. *Confucius*[6] respondet[7]: Talis est ut priùs[8] re[9] ipsa factisque[9] compleat suos[10] sermones[11] quibus instituere desiderat

alios, ac[11] deinde[12] sua ipsius facta & exempla prosequatur[14] alios instituendo. Verbo, primùm agit, tum docet. Facundum naturâ studioque discipulum, atque adeò copiosiori sermocinatione quandoque peccantem tacitè reprehendit Philosophus.

§. 4.

CO*nfucius*[1] ait[2]: Probus atque perfectus[3] vir[4] amplitudine quâdam charitatis ac beneficentiæ, quâ de omnibus bene mereri desiderat, & communem generis hominum conciliationem & consociationem colere ac tueri, universalis[5] est &[6] non[7] particularis[8]. Contrà verò improbus[9] ac vilis[9] abjectique[9] animi homo[10] particularis[11] est, privatis affectibus ducitur, amicitiam fœneratur, & beneficia sua meritaque privatis emolumentis & commodis seu pretio quodam sordidè divendit; adeoque[12] non[13] est universalis[14].

Doctrinam hanc & simul amplitudinem charitatis suæ memorabili quadam sententiâ declaravit aliquando Confucius: *audito namque fuisse militem è regno çì, qui amissum fortè scutum cùm diu frustra quæsivisset, tandem solaturus se de jactura sua his verbis usus fuerat:* Regni çi homo, sive subditus, scutum quidem perdidi, sed proculdubio ejusdem regni çi homo, sive commilitonum meorum aliquis, perditum obtinuerit. Confucius *ad hæc inquit: Dixisset multò meliùs ac laudabiliùs siquidem dixisset*, Homo scutum quidem perdidi, sed & homo perditum obtinuerit: *hoc pacto charitatem militis ab angustiis vel castrorum vel patriæ ad amplitudinem generis humani traducens.*

P. 2. §. 1.

CO*nfucius*[1] ait[2]: Exercitationi[3] totum se dedens, &[4] non[5] meditationi[6], utique[7] ludet[8] operam: meditationi[9] totum se dedens, &[10] non[11] exercitationi[12], utique[13] errori & confusioni[14] obnoxius erit. Quisquis enim studet ac discit quidem exercitatque sese, sed non assiduè meditatur ac recolit & quasi ruminat ea quæ didicit, nihil exactè solidèque perdiscet, sed cum perpetua quadam ruditate & quasi caligine luctabitur. Rursum quisquis vel desidiâ vel præsidentiâ quadam sui occupatus, & nec libros consulens nec Magistros, sterili otiosæque tantùm contemplationi rerum, & non exercitationi, dat operam, is nihil sanè assequetur præter umbras rerum & inanes ac sæpe falsas imagines, nec in solida quapiam tutaque doctrina conquiescet, sed periculum erit ne in errores alios atque alios identidem prolabatur.

§. 2.

CO*nfucius*[1] item ait[2]: Quisquis operam[3] dat peregrinis[4] ac diversis à doctrina Sanctorum dogmatibus[5], eisque temerè instituit

alios; hujusmodi[6] novator citò perniciosus[7] erit tam sibi quàm Reipublicæ.

Colaus hoc loco quatuor sectas enumerat, & Sinicas (ut ita loquar) hæreses; quas quoniam tam ipse quàm alii Interpretum verbis sanè gravibus condemnant, operæpretium fuerit de censuris eorumdem pauxillum hîc delibare. Sic igitur ait: Lex & disciplina, quæ diversa est ab ea quam Sancti nobis tradiderunt, hæresis vocatur, cujusmodi sunt eæ quarum principes extiterunt *yâm* & *mè*, & quæ ætate nostra vulgò *taó kiá*, & *fe* nuncupantur. (fe *idoli nomen est ex India in Chinam importati; quod & Japones, sed alio nomine,* xaca *scilicet, venerantur. Hæresiarchæ* yâm *&* mè *vixerunt annis circiter sexcentis ante Christum, imperante familiâ* cheu, *atque in occasum jam declinante. Prioris error hic erat: Satis superque esse sibi suarum cuique rerum curam, alienis haudquaquam implicari oportere; adeoque nec in Rempublicam, nec in Principem & Magistratus, nec in parentes ipsos quidquam vel studii, vel operæ, vel facultatum conferri. Dissociabat itaque genus humanum improbus, atque orbem terræ in solitudinem redigens, pulcherrima civitatum & regnorum corpora, dum singula membrorum (civium inquam) sibi unis vacare jubet & consulere, planè destruebat. Huic è diametro erat opposita posterioris, qui* mè *dicebatur, doctrina: unicuique scilicet se neglecto de aliis dumtaxat esse laborandum; sic autem ut æqualis cura benevolentiaque impenderetur omnibus, nullo ne amicorum quidem vel parentum discrimine. Sic ambo stulti dum vitabant vitia, alter se amantis immodicè, se negligentis alter, in contraria, uti fit, currebant. Tertiæ sectæ, quæ* taó kia *nominatur, auctor fuit* lì laò kiûn, Confucii *coëtaneus. Docebat is, opes, honores, & ea quæ eximia plerisque & præclara videntur, parva ducere, eaque ratione stabili firmaque contemnere; vacare sibi rerumque contemplationi. Porrò sectam hanc principiò fortassis integram, nec longè aberrantem à vero, sectatores deinde tot superstitionibus præstigiisque magicis vitiaverunt, tam fœdâ turpium voluptatum labe contaminarunt, ut hæresis & quidem pestilens ac perniciosa vocari jam possit.*

Chîm çù *interpres in hunc locum scribens ait:* Quatuor sectarum ea quæ postrema est, atque idolum *fe* colit, affert quidem plura, quàm afferant tres priores, veritati rationique consentanea; sed vel ob hoc ipsum magis est perniciosa, ut quæ virus suum specie illa veritatis occultet feliciùs, latiùsque diffundat: quocirca quisquis virtutis ac sapientiæ studiosus sit, illius dogmata non secus ac sermones obscœnos, & illecebrosas ac turpes rerum species aversari ac fugere oportet; fore alioquin ut pestis illa raptim sese in viscera incautorum insinuet. *Hæc ille.*

Annalium verò Interpres kieû kiûm xân *gravioribus quoque verbis atque sententiis, nec sine quadam acerbitate, non modò sectam ipsam condemnat, sed imprimis stultitiam ac temeritatem Imperatoris* mîm tí, *qui eam*

cum

cum monstro seu idolo Fe *in Sinarum Imperium invehi sit passus. Eum quippe hoc facto infortuniis & calamitatibus omnibus aditum præbuisse, sic ut ab ipso Mundi exordio ad præsentem usque diem nihil infortunatius tristiusve Sinis acciderit: itaque pessimè de majoribus suis posterisque fuisse promeritum, nec esse de Tyrannis quemquam, quamvis perniciosi ac detestabiles extiterint, qui non ex hoc saltem capite innocentior meliorque ipso Imperatore* Mîm tí *censeri queat.* Ecquid tandem magis alienum est *(inquit)* à pietate reverentiâque Majoribus debitâ, quàm ex barbarorum terris legem petere, quam nec Majores nostri secuti sint, nec verò sequi voluerint; quæ inimica pacis & societatis humanæ perturbat ac tollit ordinem omnem, quem parentes inter & filios, Reges ac subditos, maritos & conjuges, &c. natura constituit, ac mutuis officiis foveri voluit & conservari: enimverò crimen hujusmodi in cœlum pervadit. *Hactenus Interpres Annalium.*

Has igitur sectas & novitates uti vehementer damnat Colaus cum cæteris Interpretum, ita viam unam, unamque legem quam Sancti constanter tenuerint, & quæ terris omnibus gentibusque maximè sit communis, tenendam esse docet. Hæc nimirum ea est, quæ Jû kiáo, *id est,* Litteratorum lex *& doctrina dicitur, quam* Confucius *à priscis Regibus ac Philosophis acceptam & ipse perquàm severè coluit, & excoluit atque illustravit tot documentis ac præceptis: quam legem si uti profitentur ætatis nostræ litterati, ita & servarent, non adeò difficilis, uti nunc est, eis aditus foret ad salutarem, & quâ unâ lex illa naturæ perfici debet, Christianæ veritatis gratiæque legem.*

§. 3.

Confucius[1] ait[2]: Sciens rerum & esse & haberi desideras, ô mi discipule *Yeû*[3], age nunc ergo, docebo[4] te[5] scire[6], sive docebo te quis verè sciens rerum dici queat. Scis[7] quidpiam? profitere[8] quòd id scias[9]. Non[10] scis[11]? ingenuè fatere te nescire; seu sic te gere[12], ut qui id [13]nescias[14]: hoc[15] enimverò scire[16] est, & rerum scientem esse. Neque enim hoc exigitur, ut causas omnes ac naturas rerum perspectas quis habeat, cùm eas nec Sancti quidem exhaurire cognoscendo queant; sed ut ex ea quæ officii sui sunt intelligat ac perdiscat, incognita pro cognitis non habeat, hisque temerè assentiatur, &, quod deterius est, aliis errores suos venditet, tam sibi quàm aliis imponens: sed adhibeat item ad considerandas res & tempus & diligentiam; peritiores se identidem consulat, & in hoc priscorum Regum *Yaô* & *Xún* prudentiam modestiamque imitetur. Ducebatur sciolus ille discipulus immodico laudis ac præcellentiæ studio, adeoque non rarò hîc peccabat; quapropter eum *Confucius* hisce verbis ceu brachio molliori castigat.

F. 13. *p.* 1. §. 1.

Discipulus *çù*[1] *chām*[2] in disciplinam *Confucii* tradiderat sese, & operam dabat[3] philosophiæ, ut obtineret[4] litterarum doctri-

næque præsidio dignitates in Republica, & qui illas consequuntur amplos census[5]. Ut ergo discipulum instituat

§. 2.

CONfucius[1] sic ait[2]: Ex multis[3] hominum sermonibus, quos audire[4] te contigerit, prudenter secerne, ac relinque[5], silentioque fac premas quæcumque dubia[6] fuerint vel incerta: consideratè[7] verò fac proloquaris[8] [9]cætera[10], quamvis tibi certa videantur esse, tutòque dici posse: sic[11] enim fiet, ut verbis quidem perrarò[12] pecces[13]. Rursus ex multis[14] rebus atque negotiis quæ vulgò videbis[15] suscipi ac tractari, iis prudenter abstineto[16] prudens quæ sunt cum periculo[17] vel offensione conjuncta; cautè[18] verò te geras[19] & consideratè [20]reliquis[21] etiam in rebus: sic[22] enim fiet ut rarò[23] te rei vel temerè susceptæ vel malè gestæ pœnitudo[24] subeat. Porrò ubi tam præclara vitæ morumque ratio servabitur, ut quis nec verbo[25] nisi fortè rarissimè[26] offendat[27], nec facti[28] nisi rarissimè[29] pœniteat[30], mihi crede, perampli census[31] his[32] tam cautè consideratèque vivendi artibus [33]continentur[34]: tantam quippe prudentiam & virtutem publicæ dignitates, & qui cum his conjuncti sunt census, ultrò consequentur.

P. 2. §. 1.

NGāi[1] cūm[2], Regulus regni *lù* postremus, consulens[3] *Confucium* ait[4]: Quomodo[5] perficiam[6], ut[7] populus[8] æquo animo se mihi subdat[9] atque imperata faciat? [10]*Confucius*[11] [12]respondet[13]: Admove Reipublicæ atque evehe[14] ad munera publica viros integros[15] ac rectos; exclude[16] verò ab administratione Reipublicæ omnes[17] eos quos cognoveris esse homines cupidos, & vilis, pravi tortuosique[18] ingenii: sic[19] fiet ut subditi[20] tui omnes æquissimo animo & illis & tibi pareant[21]: quòd si contrarium feceris, & evexeris[22] improbos[23] quos dixi, excluseris[24] autem ac neglexeris omnes[25] probos[26] ac rectos, utique[27] populus[28] tibi haud[29] æquo animo subdetur[30]. Nimirum sic est naturâ comparatum, ut subditos inter ii quoque qui fidem, continentiam & æquitatem ipsi negligunt, virtutes has tamen in suis Magistratibus magnopere diligant atque suspiciant; contraria verò oderint, nec ullo modo ferant: quocirca tam justis tuorum studiis obsecundare te necesse erit, siquidem eos cum fide, constantia & alacritate parere tibi volueris.

§. 2.

KI[1] cūm[2] çù[3], unus Optimatum regni *Lù*, sciscitatur[4] à *Confucio* in hunc modum: Is qui magistratum gerit, volens perficere[5] ut populus[6] adversùm se reverentiam[7] fidemque servet[8], [9]utque ad virtutis item studium excitetur[10], quo[11] pacto[12] id perficiet? *Confucius*[13] respondet[14]: Quoties se dat in conspectum[15] suorum, si cum[16] decoro[17] & gravitate[17] se gerat, nihil appareat in eo leve vel incompositum, nihil agreste vel inhumanum; tum[18] subditi eum suspicient[19] ac ve-

rebuntur. Rursus si fungatur ipsemet officio pii atque obedientis[20] filii erga parentes ac majores suos, subditos item clementer ac benignè[21] tractet, illi tam apposito virtutis exemplo permoti, devincti etiam clementiæ beneficentiæque vinculo, planè[22] tum respondebunt insigni cum fide[23] Principi suo & Magistratibus. Denique si evexerit[24] admoveritque gubernandæ secum Reipublicæ viros spectatæ[25] probitatis, &[26] humaniter ac benignè instituerit[27] etiam imbecilles, quibus non[28] est tantum virtutis ac facultatis[29], sic ut eos haudquaquam despiciat negligatque; tum[30] quoque fiet ut excitentur[31] animi omnium, & in summis infimisque virtutis ac laudis studium mirabiliter exardescat.

F. 14. p. 1. §. 1.

FOrtè[1] quispiam alloquens[2] [3]*Confucium*[4] ait[5]: O *Confuci*[6], quare[7] non[8] geris[9] magistratum[10]?

Quo tempore Tím cūm *Regulus primùm cœpit administrare regnum suum* Lù, *privatus agebat* Confucius, *propterea quòd ii, quorum consiliis tunc maximè Princeps utebatur,* Kí xí *scilicet &* Yâm hó, *homines essent improbi & perturbatores Reipublicæ.*

§. 2.

SEd cùm hanc causam significare nollet *Confucius*[1], aliâ percunctatori satisfacturus, sic ait[2]: In libro *Xū Kim* sic dicitur[3]: O singularem obedientiam[4]? (Sapientis scilicet *Kiūn chin*, imperante familiâ *Cheū*; nam hujus viri laudes ibidem afferuntur.) Hoc tantùm[6] egit ipse ut obediret[7] parentibus, & mutuus vigeret[8] amor inter[9] se & fratres suos majores[10] ac minores[11] natu, extendens[12] hæc virtutis industriæque commoda ad eos in quos[13] habebat[14] privatum domesticumque imperium[15]: hoc[16] autem, mihi crede, etiam[17] est [18]gubernare[19], & magistratum inter privatos quidem parietes, at non sine laude & emolumento gerere: quorsum[20] igitur magistratum[21] geram[22] publicum, ut censear ac dicar gerere[23] magistratum[24]?

§. 3.

COnfucius[1] ait[2]: Qui homo[3] cùm sit, tamen[4] careat[5] fide[6], sive dictorum conventorumque constantiâ & veritate, non[7] intelligo[8] hujus[9] usum[10], seu cui tandem usui possit esse. Magna[11] plaustra[12] si careant[13] transverso[14] ad temonem[14] ligno, cui boves adstringi solent ac jungi; parva[15] curulia[16] si careant[17] arcuato[18] ligno, quo equus continetur & jungitur, curulibus hujusmodi[19] quo[20] tandem modo[21] iter[22] instituetur? tametsi fortè per aliquot passus rectà queant procedere, ad primum tamen flexum mox hærebunt: sic homo cui fides deest, non modò publicis in rebus, sed nec privatis domesticisque utilis erit. Est omnino Virtus ista preciosissima Regum gemma;

cum hac Imperia quamvis ampla prosperè pacificèque gubernantur.

Certè, quàm ea Priscis, & Imperatoribus, & Administris Imperii cordi fuerit, ex eo, quod secundo ex familia Cheū *Imperatori*, Chîm vâm *dicto, quondam contigit, satis potest intelligi. Hic namque dum unà cum fratre suo adolescentulo adolescens & ipse annorum septemdecim in horto se oblectat, decerptum ex arbore folium ad frontem applicans sui fratris, (ritum scilicet imitatus quo admotâ fronti tabellâ creari solebant Reguli,) jocabundus,* Regni *Tàm* Regulum te creo, *inquit: hic* Sù yè, *unus Optimatum*, Rata est *(inquit)* ô Imperator, hæc creatio. *Cùmque ille joci gratiâ se fecisse diceret, perseveravit Sapiens ratam esse; neque enim jocos in Principem cadere; verbo standum esse: quid multa?* Xo yû *(Principi nomen hoc erat) regnum obtinuit, in quo ipsi longa deinde series novem & viginti Regulorum posterorum ejus successit.*

P. 2. §. 1.

DIscipulus *çù*[1] *chām*[2] quærit[3] ex Magistro suo, an decem[4] familiæ Imperiales, quæ labentibus sæculis aliquando consecuturæ sint eam quæ tunc rerum potiebatur, possit[6] præsciri[7], an scilicet jam nunc sciri queat quæ futuræ sint leges & instituta singulorum, qui ortus & interitus.

Sinense sæculum triginta dumtaxat annis constat; atque hæc vocis Xí *vulgaris acceptio: hic tamen significat omne tempus illud quo familia quæpiam imperat, sive triginta annorum sit, sive trecentorum, pluriumve.*

§. 2.

COnfucius[1] respondet[2]: Domus Imperatoriæ *Yn*, sive *Xām*, (quæ proximè successerat familiæ *Hiá*) conformavit[4] sese cum[5] familia Imperiali *Hiá*[6], quod ad leges quidem attinet atque officia[7] majoris momenti & quasi ipsos cardines Imperii, nec in his quicquam immutavit; in iis autem rebus quæ minoris erant momenti quid[8] ipsa vel sustulerit[9], vel addiderit[10] de novo; quid immutarit, inquam, in ipso modo & quasi temperamento legum & officiorum, potest[11] utique facilè sciri[12]. Similiter de familia *Cheū*[13], quæ hac ætate nostra potitur rerum, & conformis[14] est cum[15] familia *Yn*[16] proximè antecedenti in ipsa morum[17] legumque substantia, quid[18] ea vel sustulerit[19] & antiquarit, vel instituerit[20] de novo, potest[21] itidem sciri[22]. Hoc certum, primæ familiarum cordi fuisse imprimis fidem ac sinceritatem, & in hac studium suum gloriamque potissimùm collocasse: alteram masculâ quadam simplicitate conspicuam, de substantia rerum morumque integritate in primis laborasse: nostram verò, quæ est tertia, ornatu elegantiaque rerum omnium, & cultu externo ac cerimoniis, uti videmus, plurimùm delectari. Quotquot[23] igitur olim fortè[24] successerint[25] domui *Cheu*[26], licèt[27] centum[28] numero domus[29] Imperatoriæ, ex præteritis æstimando futura, poterit[30] haud difficulter jam

nun

nunc de iis præsciri[31], seu conditione proposita quadantenus conjici quæ quamque sors maneat, quæ cujusque futura sit firmitas & gloria, quæ item incrementa; sive cùm explorata sint nobis tam membra politici corporis, quàm nexus ipsi membrorum, & vigor ipse ac spiritus quo sunt imbuta, quis neget posse nos de futuris olim Imperiis quæ singulorum firmitas ac potentia, quæ item virtus ac gloria futura videatur, conjecturâ satis verisimili diu antè pronunciare.

F. 15. p. 1. §. 1.

Confucius[1] ait[2]: Si non[3] est proprius[4] spiritus[5], cui tu ipse pro ratione conditionis tuæ atque officii sacrificare possis ac debeas, &[6] tamen ei sacrifices[7], reverà adularis[8], seu per adulatoriam illam cultûs à te non deferendi significationem felicitatis quidpiam importuniùs emendicas.

Sinarum Monarchia debitæ subordinationis, quà infima per media, media per summa regit ac moderatur, semper fuit hodieque est studiosissima; hujus exemplum prisci Reges atque Philosophi petivisse videntur ab illa cœlestium & aliorum omnium quæ cientur corporum certis locis ac sedibus inter sese apta connexione, quorum scilicet conversiones ac motus observabant ipsi ab uno Movente supremo gradatim omnes usque ad infimos ritè provenire; unde in cultu Spirituum, quos ipsos quoque aliis alios superiores esse intelligebant, ordinem quendam rituum & sacrificiorum à Priscis accuratè præscriptum observari placuit. Itaque cœli terræque Spiritui ac Domino unus Imperator ritu solenni sacrificat; præsidibus montium fluminumque ii qui Reguli & Optimates sunt; inferioribus Præfecti; & sic deinceps. Damnat ergo Philosophus temeritatem quorundam hominum, qui magis hic vel ambitioni suæ vel cupiditati, quàm ipsis Spiritibus, neglecto quem diximus ordine rituque, serviebant.

§. 2.

Colaus cum hoc loco superiorem connectens: Docemur (inquit) ea tractare quæ fori sunt nostri viriumque humanarum; arcanis autem Spirituum, & iis quæ sphæram nostram excedunt, curiosiùs perscrutandis prudenter abstinere. Itaque videre[1] quempiam & intelligere, quid officii sui sit, quid æquum[2] rectumque sit hîc & nunc; nec tamen id suscipere[3] vel perficere[4], quia metu scilicet impediatur vel cupiditate, id profectò minimè[5] fortis[6] animi est; quinimo turpis est abjectæque imbecillitatis, quam adeò damnet unusquisque: at non item rectè quis damnet alterum, quòd is reconditas ac sublimes naturas Spirituum, quæ aciem nostrarum mentium quasi fugiunt, perspectas habere non possit.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

SCIENTIÆ SINICÆ,

LIBRI TERTII,

PARS SECUNDA.

Fol. 1. pag. 1. paragr. 1.

CONFUCIUS agens de prætore Regni *Lu*, *Ki xi* dicto, qui ritus Imperatorios usurpabat, admirans ac stomachabundus ait: Octonis choris saltatur in ejus aulâ parentali: Hoc autem si tolerabile est, ecquid tandem non tolerabile erit?

Pro veteri gentis instituto solis Imperatoribus erat licitum in parentali majorum suorum aulâ producere choros funebres octo; quorum singuli totidem qui saltabant ad numeros, constabant: Regulis interim, quando solemniter majoribus suis parentabant, senos tantum choros; Prætoribus quaternos; literatis aliisque inferioris notæ Mandarinis binos producere permissis. Uni quidem Cheu-cum, *quamvis Regulo dumtaxat, propter eximia tamen ejusdem merita erga Familiam tunc imperantem, totumque Imperium,* Chim-vam *Imperator nepos ipsius ex fratre, primi quoque ordinis honores funebres olim concesserat: Quos cum Prætoria domus* Ki-xi *per insignem arrogantiam usurparet, damnat eam Philosophus, & docet neglectum ac violationem prisci moris rectique ordinis neutiquam ferri oportere; quippe licentiam ejusmodi semen esse quoddam maximarum perturbationum, & quasi scintillas, ex quibus gravissima deinde rebellionum existant incendia.*

§. 2.

TRES Familiæ *Lù*, scilicet *Mem-sun*, *Xo-sun*, *Ki-sun*, sive *Ki-xi*, quotiescunque Majoribus suis parentabant solemniùs, peractis jam officiis funebribus, cum cantu carminis *Yum* dicti colligebant mensas atque edulia (*Yum*, libri carminum pars est illa, quâ laudes familiæ *Cheu* continentur) *Confucius* hanc item licentiam arrogantiamque damnans, ac risu dignam esse notans, sic ait: Quando ipsemet Imperator in aulâ funebri majoribus parentat, assistentibus ei Regulis ac ministrantibus; tunc quidem cum solemni cantu illo, rituque fercula colliguntur. Verba carminis hæc erant: Ministri rituum soli sunt Reguli: Imperator autem sic assistit, ut in eo prorsus arcana majestas & reverentia virtusque reluceat. Quæro nunc ego: Prætoribus illis dum parentant, an assistunt fortè Reguli? An Imperatoria Majestas adest? Quod si nihil horum adsit; quo jure, quâ authoritate, quâ fronte tam alieni ritus usurpantur in trium familiarum parentali aulâ? Nimirum qui nunc ritus invadunt regios, metuendum est, ne invadant brevi & ipsa regna; sublatoque discrimine clientis ac Principis, tollatur & ipse Princeps.

p. 2.

Confucius ait: Homini non probo, qui, inquam, verâ, solidâque virtute non sit instructus, cui tandem sint usui ritus, cerimoniæ, officiaque exteriora? Rursus: homini non probo cui tandem sit usui harmonia concentusque musicus? Etenim cùm ab ipso animo virtutibus imbuto, seu radice suâ profluere debeant officia ritusque omnes, si quidem non adsit animus hujusmodi, profecto inane quoddam humanitatis simulachrum, merumque mendacium ritus omnes officiaque erunt. Rursus, cum necesse sit animum virtutis expertem variis concuti motibus, assiduèque perturbari, inutilis profectò in tantâ motuum interiorum discordiâ, concordia omnis instrumentorum vocumque erit. Familias usurpatrices rituum Imperialium paragraphus hic denuò perstringit ac damnat.

f. 2. p. 1. §. 1.

LIN Fam vir probus & rectus, oriundus è regno *Lu*, cum observaret homines suorum temporum perquàm operosè, magnisque expensis celebrare convivia, funera ducere, &c. Dubitans an idem mos fuerit priscorum Regum, eademque temporum illorum ratio, sciscitatur ex *Confucio*, & quod officiorum fundamentum sit; seu, in quo tandem posita sit vis ac ratio civilium rituum & officiorum.

§. 2.

ADmirabundus *Confucius* & collaudans hominem, qui de eo quod in quaque re maximum est, laboraret maximè, sic ait: O præclaram, ô magnam quæstionem!

§. 3.

DICO igitur, quod uti aliarum rerum sic & officiorum, sua singulis substantia est, & qui deinde ad substantiam accedit, ornatus quidam ac decor. Utraque si adsint, tum quidem numeris omnibus absoluta censebuntur officia: at si alterutrum desiderari necesse fuerit, utique sine ornatu ipsam rem (quod priscis ferè temporibus usu veniebat) quàm sine re ornatum malim. Exempli gratia: In officiis vulgo maximè usitatis conviviorum & funerum, ego quidem præ tanto splendore epularum, tantâque illâ prodigalitate, quâ nunc instruuntur, malim moderatum quid, & à priscâ majorum nostrorum simplicitate, parsimoniâque non abhorrens; plurimum verò mutuæ convivas inter fidei, reverentiæ, & charitatis. Rursus, in celebrandis funeribus exequiisque, ego præ illo tam sumptuoso apparatu luxuque funebri ex merâ consuetudine profecto multo malim verum luctum, verasque lachrymas, & immortale desiderium illius, cujus funus ducitur. Offendebat Philosophum luxuries illa rituum, & cerimoniarum, quæ istis familiæ *Cheu* temporibus immodicè prorsus excreverant; ardebatque revocare mores priscæ ætatis, quæ de ipso potiùs animo, quàm de indiciis animi laborabat.

p. 2. §. 1.

Confucius ingemiscens ait: Barbari Orientales & Boreales habent Regem, qui Rex sit non tantùm nomine, sed ipsâ re, & authoritate, utpote cui cedant, cui morem gerant, quem vereantur subditi sui: Non uti miserabilis hæc China nostra, quæ jam non habet Regem, sublato scilicet discrimine, apud Barbaros quoque, inviolato, clientis ac Principis; idque propter insolentiam quarumdam familiarum, prisci juris atque ordinis inimicam.

§. 2.

TAI-xan mons est præaltus ac nobilissimus in Provincia *Xan tum* olim regno *Lu*. Porrò *Ki-xi* supra memoratus sacrificabat monti *Tai-xan*, spiritui (inquam) montis præsidi (uti interpretes disertè dicunt) Cum tamen non alii, quam ipsimet Regulo regni *Lu* fas esset sacrificare. Offensus ea re *Confucius* & alloquens discipulum suum *Gén-yeu* (pertinebat hic enim ad familiam Prætoris, & domesticus ejusdem Mandarinus erat) sic ait: Tu ergo non potes mederi tanto malo? Respondet discipulus: non possum. Tum *Confucius* rursum ait, edito prius suspirio, (quod *U-hu* duabus vocibus exprimitur.) An igitur aliquando dicetur, quod spiritus, qui *Tai xan* monti præsidet, non possit comparari cum viro illo tam vulgari *Lin fam*, qui me nuper consulebat? Exquirebat is admodum sollicitè Officiorum rituumque rationem & fundamentum, ne forte per ignorantiam peccaret: & nos existimabimus spiritum illum naturâ tam

perſpicacem vel ignorare, vel etiam negligere id quod jus ac ratio poſcit : adeoque ſuſcepturum eſſe ſacra, quæ perturbato rerum ordine tam arroganter ac temerè offeruntur? Tacitè carpit hîc etiam diſcipuli ſocordiam, qui non magis angatur ac laboret de tollendo tam gravi offendiculo. (Ex hoc paragrapho & explanatione Colai maximè conſtat, quid Sinæ jam olim ſenſerint de præſidibus rerum ſpiritibus; eos utique eſſe præditos intellectu ac mente, & æqui rectique ſtudio teneri.)

f. 3. p. 1. §. 1.

Confucius ait : Inter viros graves ac probos non eſt de quo contendant. Imo verò (inquies) nonne datur jaculandi certamen & contentio? Utique datur. At cujuſmodi tandem illa? Qui jaculis certaturi ſunt, prius quam ſubeant in aulam exercitio iſti deſtinatam, ter ſocios ſuos reverenter ſalutant, ter eis priorem locum deferunt, ac tum denique ſubeunt in aulam : Hic verò qui victor evaſit, cæteriſquè feliciùs ſcopum attigit, deſcendit unà cum victis, quos comiter ſalutatos iterum jubet in aulam conſcendere, ibique ſuis ipſos manibus vinum fundere, ac ſtantes potare vinum pœnale (ſic dictum, quòd tali ejuſdem potatione victi mulctarentur.) Nimirum in ipſo certaminis quoque fervore obſervare licet concordiam, modeſtiam, comitatem, & planè viros eſſe probos ac graves qui certant : Dum è contrario viles improbique homines, ſi quando inter ſe contendant, exardeſcere ſolent in iras, & ferarum propè ritu inter ſe concurrere.

§. 2.

Diſcipulus *çu-hia* quærit dicens : Carmen extat hujuſmodi : Blando riſui decor ac venuſtas oris conciliat gratiam. Item pulchris oculis apta coloris albi nigrique proportio. Nimirum ubi ſubjectum ipſum & quaſi ſolum probè diſpoſitum eſt, inde evadit ornatus ei ſuperadditus & forma oculis tam grata. Poſtremum hunc verſiculum *Su y quêi hiven hi* nondum percipiebat diſcipulus : quocircà Magiſtrum ſuum conſulens, quid (inquit) verſus ille ſignificat?

p. 2. §. 1.

Confucius rem declarans ſimili, quod petit ab arte Pictoriâ, ſic ait : Sicut Picturæ opus, ſeu figura illa quam coloribus ſuis exprimit exornatque Pictor, eſt quid poſterius ipſo ſtrato fundamentoque Picturæ, ſeu primâ illâ colorum facie, quæ tabulæ ſeu telæ induci ſolet : Sic lepor ille ac venuſtas, quæ ab ore oculiſque ſolet exiſtere, eſt ipſo ore oculiſque poſterior.

§. 2.

Diſcipulus audito ſimili, perappoſitè intulit dicens : Fortaſſis igitur docetur illo carmine, quod officia ritusque omnes exteriores ſint quid poſterius? Sic ut prima ſedes Officiorum & quaſi fundamentum

fundamentum ipse animus sit plenus fide & veracitate, cui animo deinde sua respondeant officia, suus addatur rituum variorum ornatus ac splendor? Gavisus interpretatione tam appositâ *Confucius* sic ait: Qui feliciter assequatur & explicet me, sive mentem meam, tu is ipse es ô mi discipule *Xam*. (*Xam* cognomen est ipsius *çu-hia*) nunc primum potero, sive audebo tecum agens citare Priscorum carmina atque authoritates, quamvis explicatu sanè difficiles.

f. 4. p. 1. §. 1.

Confucius ait: De Priscis Familiæ *Hiá* (fuit hæc inter Imperiales & Monarchicas Sinarum Familias omnium prima) moribus, institutis, ritibus & litteris, ego possem utique loqui, & summam illorum posteritati tradere: Sed enim prorsus regnum *Ki*, quod à posteris Familiæ *Hiá* nunc obtinetur, non est sufficiens ad testificandum & confirmandum ea quæ dicturus essem. Similiter familiæ *Ín* seu *Xam*, familiarum Imperialium secundæ moribus, ritibusque & litteris, ego possem loqui & referre multa, quæ ætati nostræ incitamento essent futura ad imitandum mores antiquos & egregias laudes majorum suorum: sed enim regnum *Sum*, quod nunc de pristino splendore suo & amplitudine plurimum amisit, estque penes posteros istius familiæ, non sufficit ad testificandum vera esse, quæ à me referrentur: libri nimirum & sapientes, qui in utroque regno seu inter posteros utriusque familiæ perpauci existunt hoc tempore, haud sufficiunt; haud ii, inquam, sunt, à quibus ætas nostra testimonium satis luculentum petat, hoc in causa est: alioqui si sufficerent; tunc & ego possem vicissim testificari; plurimumque lucis ac ponderis accederet testificationi meæ ab illorum testimonio & authoritate. Nunc autem cum mihi desint præsidia tam necessaria; quorsum frustra laborem, & proloquar ea, quæ posteri non credant.

§. 2.

Confucius ait: Quotiescunque peragitur gravis ille ritus *Ti* dictus, qui proprius est Imperatorum, & quo solent hi quinto quoque anno in parentali majorum suorum aulâ honorare familiæ conditorem, & qui ex illo deinde prognati sunt Imperatores; etsi principio satis graviter, & ritè multa fiant; ubi tamen jam vinum novies de more oblatum est, novies item libatum, quicquid deinceps agitur, quia oscitanter agitur, & exiguâ cum reverentiâ, ego quidem non aveo vel gaudeo spectare, tametsi ratione officii mei cogar assistere. Verùm quod hîc omnium maximè mihi displicet, est, quod honores illos solis Imperatoribus debitos (& uni quondam *Cheu-cum* quamvis tantùm Regulo concessos ab Imperatore *Chim-vam* ejusdem nepote, idque propter eximia prorsus viri merita in totum Imperium) nunc videam aliis quoque Regulis ejusdem *Cheu-cum* posteris deferri, contra jus omne moremque Imperii.

p. 2.

QUidam percontatus est à *Confucio* parentalis officii longè solemnissimi *Ti* dicti rationem: videbat illud in Regno *Lu* exerceri, sed institutionem illius & usum ignorabat. *Confucius* ei respondens ait: Non scio: dico tamen, quod quisquis probè intellexerit arcanas illas ac sublimes ritûs hujus & officii rationes, in rebus ad Imperii gubernationem spectantibus, is habiturus sit omnia tam perspecta, tamque in promptu, ac si posita videret omnia hic, in palmâ, inquam, manus suæ, quæ dicens, digito monstravit suam ipsius palmam, uti à discipulis est traditum: facilè nimirum reget homines, qui debitos honores præstare majoribus defunctis norit. Duabus interim de causis noluit Philosophus mysterium hoc percunctatori exponere: prima, quod illo contineatur apex quidam filialis pietatis & obedientiæ, ad quem ipso quidem opere & exercitio nemo præter Priscos illos magnarum virtutum Reges; cognitione verò & intellectu nemo præter admodum sapientes videtur pertigisse: quorsum ergo vulgari cuipiam homini illa exposuisset? Altera, quia declarari non poterant ea, quæ ad ritum illum pertinebant, quin illicò patefieret, ac plusquam tacitè damnaretur insignis arrogantia Reguli, qui hîc ritu Imperatorio contra fas moremque Imperii utebatur: atqui veritas hæc odium periculumque parere nata erat.

f. 5. p. 1. 1. §.

Confucius (uti à discipulis ejusdem traditur) Quotiescunque majorum suorum memoriam, & accepta ab eis beneficia solemniùs recolebat, cum eo pii gratique animi sensu & significatione præscriptos ritus exercebat, ac si revera majores ipsi præsentes astitissent. (Ex hoc loquendi modo colligi potest, non fuisse Sinas in hoc errore, quod manes majorum suorum vitâ functorum suis assisterent parentantium officiis.) Idem quotiescunque magistratum gerens, pro officio suo præscriptos honores deferebat spiritibus locorum præsidibus, tantâ cum veneratione & gravitate illos deferebat, ac si spiritus ipsi spectabiles astitissent.

§. 2.

SOlebat itaque non raro *Confucius* ipse dicere: Ego si quandoque graviter impeditus non assistam per me ipse dictis officiis, eisque ritè fungar: tametsi vices meas alteri protinùs commendem, minimè tamen acquiesco; sed angor animo non secus ac si nondum sacris illis quisquam operatus fuisset. Argumentum illustre tum pietatis, tum venerationis admodùm sinceræ, quo Philosophus vel majores suos, vel tutelares spiritus prosequebatur.

§. 3.

VAN *sun kià* (Præfecti nomen est) percontatur à *Confucio* dicens : Proverbium illud nostrum : præ hoc quod captetur gratia spiritûs *Ngao* dicti, qui præsidere censetur aulæ domesticæ, & superioris esse ordinis; satius tamen fuerit captare gratiam spiritus *çao* dicti, qui foci præses est, quamvis hic ille sit inferior: hoc (inquam, proverbium quid obsecro significat? Præfectus ille plurimum valebat gratiâ & authoritate apud Regem *Guéi*, ad cujus regnum Philosophus tunc fortè diverterat: ratus autem venisse illum dignitatis obtinendæ causâ, percunctatione istâ jocabundus hortatur, suam ut operam gratiamque imploret; hanc enim præ Regis ipsius gratiâ ei quodammodo necessariam fore.

Domos familiasque singulas duorum maximè spirituum tutelæ fideique esse commissas, prisci autumabant; è quibus is, qui Ngáo *dicebatur, nobilior censebatur; vulgò tamen alterum qui foco præsidebat, impensius colebant, suadente sic (ut aiebant) non utilitate modò, sed etiam necessitate; quippe sine foco nec vitam duci posse : vitâ autem deficiente nec ipsos coli posse spiritus.*

p. 2. §. 1.

SED *Confucius* haud ignarus quò tenderet superbi hominis jocosa percunctatio; judicans alienum esse à rectâ ratione, viroque sapiente & probo indignissimum adulando gratiam alterius aucupari, sic ait : Nequaquam sic ut tacitè mihi suades, agendum est: Nequaquam sequor vulgi morem : Quisquis enim peccaverit in cœlum, non habet aliud Numen superius à quo peccati veniam deprecetur.

Hîc enim verò, quomodocunque Interpretes moderni quidam se torqueant : omnino tamen dicendum est, de eodem planè cœlo loqui Philosophum, de quo loquebatur prodigus quondam filius, cum ploraret ab se peccatum fuisse in cœlum. Neque desunt nobis Interpretes, qui contra impios cives ita sentiant. In primis Cum ngan *ait*; Vu sò tào yu chum xin : non habet quod veniam precetur à spiritibus universis *(Offenso videlicet spirituum universorum Domino) Uberius autem clariusque noster Colaus, qui* Confucii *sententiam explanans, unum, inquit, est cœlum, quod summè colendum est, & cui nihil æquale. Ab hoc & probis obveniunt prospera, & improbis adversa, tam certò, tamquè exactè, ut ne minimo quidem errori sit locus. Quisquis ità res agit, ut obsequatur rationi, hunc utique beata sors manet : quisquis autem repugnat, hoc ipso peccat in cœlum. Immissas verò calamitates ab cœlo vindice ecquis tandem effugiat? Aut quomodo implorata* Ngáo *&* çáo *spirituum ope declinare queat? Ex quibus perspicuum fit, oportere hominem parere rationi, & servire cœlo; & ne ipsis quidem spiritibus (nedum hominibus) adulari.*

§. 2.

Confucius ait: Hæc, quæ nunc rerum potitur, familia *Cheu*; in ortu suo statim conjecit oculos in duas familias *Hiá* & *Xam*, quæ ante illam tenuerant Imperium: cumque viros haberet & literis & armis claros; horum operâ (maximè quidem Principum *Ven-vam*, *Vu-vam* & *Cheu-cum*) tam feliciter attemperavit præcedentium familiarum leges ac mores, partim addendo quædam, partim etiam tollendo; ut ipsa tandem ornatissimum quid in omni litterarum & officiorum genere, vitæque totius cultu evaserit. Ego itaque lubens sequor familiæ *Cheu* mores & instituta: maximè quando mihi contigit illâ imperante nasci, atque ætatem agere.

§. 3.

Confucius quo tempore magistratum gerebat in regno *Lu*, crebrò ingrediebatur in magnam illam celebremque aulam quæ memoriæ sapientissimi *Cheu-cum* dicata erat, ut inibi cum reliquis regni primoribus consuetos honores defuncto Principi ritè deferret. Porrò quotiescunque sic ingrediebatur; solebat ipse de singulis propè rebus admodum multa sollicitè studioseque sciscitari; quis scilicet vasorum esset usus, quo fine, quo ritu, modoque singula peragi oporteret. Quidam hoc animadvertens ait: Ecquis sibi persuadeat, dicatve *Ceu* hominis filium (ita *Confucium* vocitabat, propterea quod ejus pater *Xo leam he*, Præfectus olim fuisset oppido *Ceu* dicto) Peritum esse rituum? Quotiescunque enim intrat in majorem hanc aulam, singula exquirit; eo planè modo, quo imperitissimus quisque solet. At *Confucius* hoc audito sic ait: Imo verò hoc ipsum genus quoddam rituum est & argumentum satis illustre quam quis eorum non imperitus sit. Planè sic erat: tanta quippe cura, studium tam singulare exquirentis minutissima quæque, satis declarabant, intelligere Philosophum, quid ibi, quantique momenti res ageretur, & in quanto haberet pretio ritus illos ac cerimonias. Simul etiam prodebat sese hominis modestia, cum eximiam quandam rituum peritiam assecutus esset, eâ tamen haudquaquam efferebatur, aut sic fidebat, ut non assiduè consuleret alios, ab eisdem proficere gaudens ac discere.

f. 6. p. 1. §. 1.

Confucius ait: Qui sagittas mittunt, non perforant corium (extant hæc verba in libro officiorum, ubi de sagittariorum exercitiis agitur) Laus inquit, ac victoria periti sagittarii non in eo consistebat olim, ut scopum perforaret (constabat scopus ex corio) sed ut feriret; nec immeritò: quia vires jaculo certantium non sunt æquales; neque certamen erat de robore, sed de peritiâ & dexteritate: erat hæc Priscorum lex & ratio; à quâ, proh dolor! deflectere jam cœpit ætas nostra, malè resumptis armis quæ *Vu-vam* familiæ *Cheu* conditor

conditor bene sapienterque jusserat recondi. Nunc denuò robur militare, nunc artes bellicæ in pretio sunt; virtus autem negligitur, quæ tamen una scopum veræ laudis attingit; & cum robur acquiri nequeat discendo, virtus potest.

§. 2.

SOlebant exeunte quovis anno Imperatores Calendarium anni sequentis jamdiu antè confectum in Regulos distribuere; Reguli verò asservare illud in parentalibus majorum suorum aulis, ad quas deinde Calendis cujusque mensis accedebant & producto consultoque Calendario secundùm præscriptos ritus ovem occidebant: quo ritu dicebantur commonefacere spiritus, seu facti sui rationem iisdem reddere, *id-est, sic gerebant se, ac si præsentibus majorum spiritibus pia gratique animi studia testarentur: etenim mera quædam panegyris erat ea, de quâ hîc agitur, commonefactio.* Mos hic in regno *Lu* jam per annos plurimos intermissus fuerat: Ovis tamen è censu publico subministrabatur singulis ab eo, cui demandata erat hæc cura. *çu-cum* ergo discipulus cupiebat imposterum tolli illam, quâ spiritus commonefiebant Calendis cujusque mensis, vivam ovem: cupiebat, inquam, supersederi impensis, quas planè supervacaneas esse judicabat.

p. 2. §. 1.

SED *Confucius*, qui rem maturiùs expendebat, ac futuræ saltem ætati volebat consultum, haudquaquam probato parsimoniæ istius consilio, mi discipule (inquit) *Su* (*Su* nomen est ipsius *çu-cum*) *Su* quidem amas istas oves; at ego amo istum morem & ritum: mos ille tam laudatus jam negligitur, & quodammodo sublatus est: verùm si posthac oves ali desierint, ipsa quoque spes moris aliquando revocandi funditus tolletur. At certè haud inutiles censeri debent expensæ, quæ nos officii nostri non patiuntur esse immemores, & quæ Regis alicujus, ut spero, animum excitabunt olim ad restaurandum priscæ pietatis observantiæque morem.

§. 2.

Confucius ait: Ego sic obsequor & servio Regi meo, ut penitùs exhauriam quidquid ad exteriorem illam venerationem observantiamque desiderari potest. Verùm homines quidam imprudentes ac temerarii, qui vel animum meum non habent perspectum, vel etiam ex suo metiuntur meum, propter hoc ipsum judicant me adulatorem esse, & qui per artes ejusmodi, gratiam mei Principis abjectè captem.

f. 7. p. 1. §. 1.

TIM cum Rex regni *Lu* quæstionem instituit hujusmodi. Rex dum imperat subditis suis; & subditi vicissim dum serviunt Regi suo quâ ratione se gerent? *Confucius* respondit: Rex imperet subditis

cum prudenti quâdam moderatione : neminem suorum aspernetur: cuique pro cujusque meritis, officio, gradu, dignitate attemperet sese; cum his agendo blandiùs, severiùs cum illis; cum unis fidentiùs, cum aliis cautius. Subditi vero serviant Regi magna cum fide, studioque synceræ veritatis, non modo nihil ut eum celent earum rerum, quas scire par sit; sed etiam quidquid imperatum, quamvis arduum sit atque difficile, suscipiant tamen fortiter, constanterque perficiant: Nec dubitent, ubi res postulaverit, ipsius quoque vitæ discrimen alacriter subire.

§. 2.

CONfucius ait: Carmen epithalamium *Quan-çiu* dictum lætum quidem est ac festivum, & non obscœnum: Mœstum est, quatenus exprimit amantis desiderium, varioque affectus animi, non tamen est ejusmodi, quod afficiat quemquam vehementius ac perturbet. Diu erat, quod virginem cui *Tai sû* nomen, eximiis naturæ dotibus ac virtutibus ornatam *Ven-vam* Rex in uxorem sibi expetierat: & ardebat ille quidem amore desiderioque virginis: Verumtamen sic ardebat, ut nihil ageret, vel diceret Philosopho Rege indignum. Ubi verò nuptiarum dies tandem adfuit; quamvis aula festo concentu musicorum tota resonaret; adeò tamen nihil audiebatur, quod verecundas aures offenderet; ut è contrario petulantiores motus animi coërcerent eximia quæ carminibus illis continebantur documenta. Commendatur hic itaque singularis quædam moderatio tam Principis quam Regiæ totius.

Inter alias illustres fœminas tres imprimis, dictæ San-mù, *id est, trium maximorum Principum matres, Scriptorum encomiis celebrantur;* Tai-kiam Vam-ki *Regis mater,* Tai-gîn *mater Regis* Vên-vâm, *qui familiæ* Cheu *conditor;* Tai-su *ex quâ natus deinde* Vù-vam *familiæ ejusdem primus Imperator, adeoque* Chîm-vam *secundi celeberrimique Imperatoris avia: Nec dubitant matronarum istarum prudentiæ ac virtuti acceptam referre tantorum filiorum tam præclaram institutionem, & successus rerum maximè secundos. Porrò qui plura cognoscere desideret de his aliisque laudatissimis fœminis, libros* Quei muen pie to, *&* Lie niu chuen *consulat. Inveniet hîc inter alia virtutum exempla castimoniam Lucretianæ æmulam; multas, inquam, tuendi pudoris causâ promptissimè morientes.*

§. 3.

NGAI *cum* Rex Regni *Lu* percunctatus est de areâ seu patenti quodam extra urbem circo *Xe* dicto, à discipulo *çai-ngò*. In campo illo telluri (seu veriùs supremo cœli terræque Imperatori, quemadmodum *Confucius* hoc ipsum declarat in lib. *Chum-yûm* f. 14. p. 2. §. 1.) Sacrificium offerebatur. *çai-ngò* discipulus respondit Regi in hunc modum: *Hia* Imperialis familia campum istum conse-

rebat pinis; secundæ verò familiæ *Tu* homines cypressis: tertiæ denique familiæ, quæ nunc tenet imperium *Cheu* dictæ homines castaneis illum adornabant: hæc autem ideò fecisse dico, ut populus pertimesceret seu horrore quodam concuteretur. Moris erat in eodem loco noxios afficere supplicio; Cumque memoratæ arbores ferale quid ac horridum præ se ferrent; hinc priscorum mentem temerè interpretatus, ibi finxit esse mysterium, ubi nullum erat. Equidem cum singulæ familiarum diversis in locis aulam constituissent, locum sacrificio suppliciisque destinatum iis censeverunt arboribus, quas ipsa loci natura, solique ingenium postulasset.

p. 2. §. 1.

CONfucius ergo cum inaudivisset quid à discipulo fuisset responsum, parum utique prudenter, neque ad rem sic ait: Peractâ jam re, non est loquendum: Imò quamvis re necdum peractâ, eo tamen loci deductâ ut impediri jam nequeat, non est adhibenda monitio, quippe inutilis & frustranea: denique re jam præteritâ non sunt exigendæ pœnæ, eo quidem consilio, ut, quod jam factum est infectum reddatur: non autem quod per illas non caveatur in posterum. Cæterum hæc ipsa sic dicta correptionis vim habent: Severiùs quippe castigare vix poterat temeritatem discipuli, quam sic non castigando. Volebat nimirum Philosophus justitiâ, clementiâque, non autem minis atque terroribus subditos in officio contineri; ideò molestissimè ferebat interpretatione tam falsâ concitatum fuisse Regis animum ad immodicam severitatem, à quâ priscorum ætas semper alienissima fuerat.

§. 2.

CONfucius ait *Quòn-chùm* Præfecti capacitas ô quam modica est! Erat hic præpotenti Regi Regni *çi* à consiliis; cumque plurimum valeret industriâ, prudentiâ, aliisque rerum gerendarum artibus; multa feliciter perfecerat, vulgoque sermonibus omnium celebrabatur: Quoniam tamen vera virtus sapientiaque homini deerat, abjectè de illo sentit & loquitur Philosophus; sic enim judicabat, veram cujusque magnitudinem, veram capacis altique animi laudem ex unâ virtute peti & existimari oportere. His autem Magistris ac Ducibus, ubi quis seipsum, familiamque suam rectè instituerit, tum demùm posse utilitates maximas in Principem subditosque populos derivari.

§. 3.

QUAM Philosophi mentem cum quidam adstantium minimè assequeretur, ratus præfectum de avaritiâ, nimiâque parsimoniâ notari, sic ait: An igitur *Quòn-chùm* sumptus odit, immodicè restrictus & tenax? Respondet *Confucius*: *Quòn-chùm* Præfecti familia habet sumptuosam turrim illam *San-quei* dictam, cujus ex-

truendæ auctor fuit ipse in primis. Item consilio ejusdem & authoritate perfectum est, ut lites & causæ subditorum non omnes promiscuè ad unius hominis tribunal deferrentur, sed ut sunt eæ diversi sæpè fori, ita diversi constituerentur Judices, qui cum otio examinarent singula, & jus dicerent: Nec tamen ignorabat ipse, quam multum hoc pacto quotannis expenderetur de censu Regis sui: Quomodo igitur, hæc qui faciat, censeri possit peccare parsimoniâ.

f. 8. p. 1.

AT enim (subsumit alter) si vir est tam splendidus, tamque munificus, & qui recto judiciorum ordini tam præclarè consuluit; nonne ergò dicendum erit, quod *Quòn-chúm* probe calleat officia; quod (inquam) cujusque sit officium, quid quæque res poscat. Respondet *Confucius*: Rex erecto pariete velat majorem portam Palatii, utique pro jure suo & more (soli namque domui Regiæ erat licitum extrà majorem portam Palatii sui parietem seu vestibulum quoddam erigere, per quod uni Regi medius patebat egressus vel ingressus, reliquis omnibus per laterales dumtaxat fores incedentibus (& tamen *Quòn-chúm* familia similiter etiam pariete obtegit portam domûs suæ, haud secus ac si foret regia. Rex item si quando instituit duorum Regum convivium, (si inquam) hospes illi sit alter Regulus, quem ad cœnam invitet; habet utique pro opulentiâ suâ & majestate Regiâ varios, ubi crateres aurei, aliaque vasa collocentur, abacos. *Quòn-chúm* familia per insignem arrogantiam similiter item habet poculis instructos abacos. Enimverò si *Quòn-chúm* familiáque ejus, cùm tam aliena faciat ab officio modestiâque subditi, tamen sciat, seu scire censeatur officia, ecquis tandem non censebitur non scire officia, quantumvis eadem negligat; contemnat mores patrios, & quæ alieni juris sunt, invadat?

p. 2.

MUsicâ plurimum delectabatur Philosophus, non quidem adeò propter suavitatem, quæ mulcebat aures, quàm propter utilitates, quas summi pariter infimique ex illâ percipiebant, quotiescunque Priscorum more instituebatur; sic prorsus, ut quandoque Regni totius innovatio quædam, morumque singularis emendatio sequeretur. Tanta doctrinæ vis erat, quam Prisci Reges ac Magistri numeris suis illigaverant. *Confucius* itaque ex Regno *Guéi* redux in patrium *Lù* regnum, cum videret Musicam passim negligi; multa item quæ ad Reipublicæ administrationem, morumque disciplinam pertinebant, propè jam oblivioni tradita, vehementer optans instaurari omnia, alloquens Regni *Lù* magnum magistrum sic ait: Musices quæ Majoribus nostris in tanto fuit pretio, ejus tu saltem, qui pro officio illam tractas, potes esse peritus. Et illa quidem principio consonè unitis (inquam) & vocibus & instrumentis pleno, ut

no, ut aiunt, choro resonabat: deinde verò paululum remittens, cum proprio tamen cujusque vocis & instrumenti sono harmonicè perseverabat: sic quidem ut clara semper & sine ullâ confusione: continenter & sine interruptione: hac ratione majorum nostrorum musica perficiebatur.

f. 2. p. 1.

OPpidi quod 𝔂 vocabatur limitum præfectus à *Confucii* discipulis petivit copiam sibi fieri conveniendi & salutandi magistrum ipsorum dicens: Spectatæ probitatis sapientiæque viros quotiescunque accesserunt huc, ego nunquam non obtinui ut viderem. Discipuli introduxerunt hominem ut salutaret Philosophum: Quo salutato cùm egrederetur, conversus ad eosdem ait: O vos duo tres-ve filii, quorsum mœretis & angimini animo, quod Magister ille vester vivat nunc procul à regno patrio & privatus sua dignitate? Porrò quod in imperio nostro sine lege vivatur, jam diu est: Et ego quidem sic statuo, futurum brevi ut cœlum, ex *Confucio* efficiat quasi vivum quoddam instrumentum *Mo to*, seu sonoram æris campani linguam ad populi totius institutionem.

Eligebatur olim Mandarinus unus è gravioribus, qui leges imperii, & sanam virorum sanctorum doctrinam per omnes Provincias divulgaret: Utebatur is autem tintinnabulo, quod æneum cùm esset, linguâ tamen ligneâ instructum erat; hinc Mo to *dictum; contra quàm tintinnabulum militare, quo statuta scilicet militaria bellique leges vulgari consueverant, quod ex ære totum erat; adeoque* Kin-to *vulgo dicebatur. Significatur hîc itaque, doctrinam Philosophi per Imperium totum propagatum iri: uti revera deinde contigit.*

p. 2. §. 1.

Confucius, uti commemorant, dicebat de musicâ *Xaô*, cujus author extiterat *Xún* Imperator, quod illa penitùs exhauserat elegantiam & pulcritudinem. Item quod exhauserat eadem clementiam & suavitatem. Dicebat autem de musica *Vù* dicta (fuerat hæc Imperatoris *Vu-vam*) præstantissimam quidem fuisse, plenamque majestatis: At non item suavissimam, bellum quippe & arma resonantem.

§. 2.

Confucius ait: Præfecti non sint clementes, rursus si qui fungunt mutuis urbanitatis officiis ceremoniisque, si non ex animo colant se mutuò: si denique tot inter apparatus funebres, nullus tamen veri doloris luctûsque sensus existat: Ego quorsum obsecro spectator horum omnium esse velim?

fo. 1. p. 1. §. 1.

CONfucius ait : Prorsus infrequens sit vicus & ignobilis, ubi scilicet familiæ degant non plures viginti quinque; incolæ tamen loci tales sint, ut mutua fides & amor vigeat; ab hoc uno petatur laus omnis & decor : sit item quispiam qui sedem sibi deligat, nec tamen commorari velit in hâc, quam diximus, sede charitatis & innocentiæ : Hunc ego quomodo censere queam esse prudentem?

§. 2.

CONfucius ait: Improbi, haudquaquam possunt longiori tempore commorari cum ærumnis & paupertate, haud item possunt longiori tempore commorari cum faventis fortunæ lætitiis. Vir interim probus, quæcunque sors casusve incidat, in unâ conquiescit virtute : Vir etiam prudens non emolumentum & lucrum suum petit ex virtute.

p. 2. §. 1.

CONfucius ait : Solus ille qui probus est, tutò potest diligere homines, tutò potest odisse homines.

§. 2.

CONfucius ait : Si quis seriò firmiterque applicet animum ad virtutem, is nihil quod turpe sit aut contrarium rationi committet.

§. 3.

CONfucius ait : Opes & honores ea sunt quæ mortales appetunt. Verùm si non sit consentaneum ipsi rationi illa obtinere verus Philosophus neutiquam in illis persistet. Ultrò scilicet se his abdicabit. Rursus inopia & humilitas vilitasque ea sunt quæ mortales oderunt ac fugiunt : verus autem Philosophus, tametsi fortè non secundùm ipsum jus & ipsum hæc illi obvenerint, ipse tamen haudquaquam id aget, ut ab se per fas & nefas inopiæ vilitatem avertat.

f. 11. p. 1. §. 1.

QUocirca si quis audire velit Philosophus, & tamen abjiciat veræ sapientiæ virtutisque studium, talis qui sit, quomodo mereatur vel sibi conciliet Philosophi nomen ac famam.

§. 2.

VErus Philosophus ne tantillo quidem tempore quo solet corpus refici quidpiam committat contrarium virtuti rectæque rationi : Et quamvis incidat casus maximè repentinus, planè tamen in hoc virtutis proposito persistat. Imò quæcumque tandem rebus eversis ac perditis calamitates premant, planè tamen in hoc virtutis fundamento perseveret.

§. 3.

CONfucius ait : ego nondum vidi quemquam, qui gauderet virtute & abhorreret à vitiis seù improbitate. Utriusque ratio hæc est, quod eum qui gaudeat virtute, velim tam inflammato illius studio & amore teneri, ut nihil eidem anteponat. Rursus, qui abhorreat ab improbitate, eum sic volo operam dare probitati ut non patiatur ne tantillo quidem, quod vitiosum sit, affici & inquinari suam personam.

p. 2. §. 1.

VErumtamen an est credibile dari quempiam qui generoso determinatæ mentis consilio velit, adeoque possit vel unius diei spatio impendere omnes vires suas in studium virtutis, & tamen ad eam non pertingat? Ego certè nondum vidi quemquam, cujus ad hoc vires non sufficerent.

§. 2.

FORTASSE tamen dabitur qui reverà tam imbecillis sit, at ego certè necdum vidi quemquam.

f. 12. p. §. 1.

CONfucius ait : Quotiescumque homines excessu quodam peccant singuli ferè peccant in suo genere, sic ut quales ipsi sint, talis etiam sit excessus. Unde considerato quo quis peccat excessu, hoc ipso scit, qualis ipsa sit virtus in quâ vel excessu vel defectu quis peccat.

§. 2.

CONfucius ait : Manè qui audiverit legem, vesperi mori potest. Nec erit quod vixisse pœniteat aut tædeat mori.

p. 2. §. 1

CONfucius ait : Homo literatus qui constituerit operam dare veræ Philosophiæ & tamen erubescat viliorem vestitum, viliorem cibum, is profectò nondum idoneus est qui cum philosopheris.

§. 2.

CONfucius ait : Perfectus vir, seu, verus Philosophus in hoc orbe non habet obfirmatum animum ad agendum, neque habet ad non agendum : convenientia cujusque rei est id quod sequitur.

§. 3.

CONfucius ait : Proborum tota mens & cogitatio occupatur unà virtute, improbi contrà suis intenti commodis. Pari modo probi homines continenter animo volvunt ac revolvunt Imperii leges, Improbi verò cogitationes suas omnes defixas habent in lucris.

f. 13. p. 1. §. 1.

CONfucius ait : Turpiter inhians lucris suis & juxta ea suas res agens; plurimis utique reddetur odiosus.

§. 2.

Confucius ait: Si quidem Rex possit sive velit pro suo Regis officio moderari sese, & sic regere, quid obsecro laborabit? E contrario, si nolens ipse pro suo Principis officio moderari sese, administret regnum, cui tandem erunt usui tam inania frivolaque officia.

§. 3.

Confucius ait: Noli mœrere propterea quod careas publicâ dignitate. De hoc angaris, quod iis careas virtutibus propter quas eveharis. Rursus, noli mœrere, quod nemo sit à quo ipse cognoscaris. De hoc uno scilicet nobis laborandum est, tales ut simus, qui mereamur cognosci.

§. 4.

Confucius ait: Heus tu, mi discipule *Sin* (alias *çemçu*) mea doctrina in radice suâ unum quid est, seu in uno maximè fundatur principio, quo ipse utor deinde in ordine ad omnes reliquas actiones. *çem-çu* Magistri sui mentem feliciter assecutus, prorsus, inquit, res habet ut dicis.

p. 2.

Confucio non multo post egresso, discipuli ab *çemçu* sciscitati sunt, dicentes: Ecquid obsecro significant illa Magistri verba? Ad quos *çem-çu* sic ait: *Confucii* doctrina fundamentalis, & unicum rectè vivendi principium hoc est: Quidquid agas agere verè ex animo totisquè viribus & à tuo ipsius corde gradum facere ad alios: seu, talem te esse erga alios, quales esse velis alios erga te; atque hoc sufficere, nec aliâ re esse opus.

f. 14. p. 1.

Confucius ait: Vir probus ac verè Philosophus valde perspicax est in iis quæ sunt rationi consentanea, improbi verò ac homines oculatissimi suis in lucris & commodis, quid è re suâ sit, quid contrà, acutissimè discernunt.

p. 2. §. 1.

Confucius ait: Probus si videat quempiam virtutibus instructum mox cogitat eidem se conformare. Idem si videat hominem virtutis expertem, inde etiam fructum suum petens, interius secum ipse mox disquirit, an ei fortè vitio suo sit similis.

§ 2.

Confucius ait: Filius constanter morem gerat serviatque Patri & Matri. Si tamen ab eis fortè peccaretur, leniter ac pedetentim commoneat: quod si viderit eo esse animo parentes, ut non obsequantur monenti, supersedeat: Iterumque solita prodat observantiæ argumenta, & nequaquam verbo factoque eis adversetur. Quod si etiam laboribus molestiisque, immo etiam verberibus obruant eum castigentque

castigentque; eis tamen haudquaquam succenseat filius.

§. 3.

CONfucius ait: Quandiu Pater & Mater superstites sunt, filius ne longius seu in longinquiores terras evagetur. Verumtamen si gravis quæpiam necessitas longiùs proficisci coëgerit, sciant omnino parentes ubi terrarum filius versetur.

f. 15. p. 1. §. 1.

CONfucius ait: Quisquis parentibus vitâ jam functis totos tres annos non discesserit à patrio more & instituto, is poterit nuncupari obediens.

§. 2.

CONfucius ait: Patris ac Matris annos seu ætatem, probus ac pius filius assiduè reminisci debet, nec potest citrà culpam ignorare, partim ut lætetur ipse, partim ut pertimescat.

§. 3.

CONfucius ait: Prisci sermonem non proferebant nisi rarò & perparcè: Pudore quodam suo impediti scilicet, quod intelligerent se rebus factisque propriis nondum pertingere quò pertingebant sermone.

§. 4.

CONfucius ait: Homines frugi & assiduâ disciplinâ continentes sese & tamen delinquentes, utique rari sunt.

p. 2. §. 1.

CONfucius ait: Verus Philosophus studio quodam tardus est ac muti propè instar in suis verbis, (vel affectat nescio quam tarditatem & quasi impedimentum linguæ in suis verbis) contra verò celer & expeditus idem est in operibus suis.

§. 2.

CONfucius ait: Virtus non est solitaria nec desertæ instar: Omnino habet vicinos suos; cultores, inquam, & sectatores.

§. 3.

DIscipulus *çu yeu* ait: Qui ministrat Regi, si importunus sit hoc ipso probrum sibi accersit; qui item apud sodales & amicos suos importunus, hoc ipso abalienabit ab se animos illorum. Sed caveant hîc (inquit Interpres) vicissim viri Principes & quicunque amicitias colunt, ne dum monentur paulò liberiùs, repugnanter id accipiant, audiantque cum molestiâ, quod tamen cum fide benevolentiâque dicitur: Periculum est enim, ne vero amico protinùs succedat blandus, & fido monitori improbus assentator, qui eosdem non modò ferri sinat præcipites, sed ultrò quoque in exitium & ruinam propellat.



LIBRI TERTII

PARS TERTIA.

Fol. 1. pag. 1. paragr. 1.

CONFUCIUS dicebat de discipulo suo *Cum ye cham* dicto; convenit ei uxorem dare, quippe viro planè integro, & maturæ solidæque virtutis. Nam tametsi sit inter atro fune vinctos, id est, carceri mancipatos; id tamen accidit alienâ culpa calumniantis innocentem; non accidit ipsius culpâ: *Confucius* itaque suam ei filiam nuptui dedit.

§. 2.

Confucius dicebat de discipulo suo *Nân-yûn*: Vir hic est raræ prudentiæ, & solidæ adultæque virtutis; itaque si in regno vigeant virtutes ac leges; ipse non negligitur, sed ad regni munia adhibetur: Si verò regnum sit sine virtute ac legibus; tum suâ prudentiâ servat se ab interitu ac periculis incolumem, propterea *Confucius* sui fratris filiam ei in uxorem dedit.

p. 2.

Confucius item dicebat de *çu-çien* discipulo suo: Quantæ sapientiæ ac virtutis vir hic est! At enim si regno huic nostro *Lù*, ex quo oriundus ipse est, non essent tot tamque insignes sapientiâ & virtute viri, quorum exemplis, usu, & institutione assiduè profecit, ipse undenam, aut quomodo sibi comparasset hanc tantam virtutem, tantamque sapientiam?

f. 2. p. 1. §. 1.

Cu-cum & ipse *Confucii* discipulorum unus, cum audivisset *çù-çién* condiscipuli sui ab ipso Magistro prolatum encomium; curiosus sciendi, quid de se Magister suus sentiret, ex eodem percontatus ait: Ego *Sú* (nomen hoc erat ipsius *çù cúm*) qualisnam sum? *Confucius* respondit: Tu es vas. Quo ille audito iterum quærens ait: cujus-

modi vas ego sum? Cui respondens *Confucius*, tu, inquit, es pretiosum & elegans illud vas *Hû-lien* dictum quod inter vasa ad usum oblationum, quas Reges in majorum suorum aulâ facere consueverant, erat pretiosum imprimis. Cum hoc itaque comparavit *Confucius* hunc suum discipulum, ut ostenderet ipsum ejusmodi talentis ornatum, quibus primum inter cæteros Regni Præfectos locum mereretur.

§. 2.

Confucii discipulorum unus *Yum* dictus, vir erat præ cæteris taciturnus; quidam hanc ejus taciturnitatem notans, *Confucio* dicebat: *Yum* discipulus tuus equidem vir probus est; verumtamen indisertus & parum eloquens.

§. 3.

Confucius respondit: Ecquem tandem usum habet illa oris facundia & loquacitas? Nam obruere & opprimere alios garruli oris promptitudine, plerumque indignationem movet odiumque apud homines. Quod attinet ad *Yum* discipulum meum, quem virum esse probum asseris; ego quidem nescio, nec discutio, ipsius probitatem: unum quæro, cui tandem est usui illa quam tanti æstimas, oris facundia?

p. 2. §. 1.

Confucius jusserat discipulorum suorum unum *çie tiao cai* dictum, Magistratum gerere. Hic respondit: Ego hujus rei nondum teneo vel assecutus sum sufficientem peritiam, ut eam ausim suscipere. *Confucius* audito discipuli sui responso prudentiæ modestiæque pleno, admodum gavisus est.

§. 2.

QUIA *Confucii* temporibus jacebat in Regno *Lù* neglecta virtus; neque Rex probos sapientesque viros ad publica munia adhibebat: *Confucius*, qui dignitates eo maximè consilio admittebat, quod speraret sic faciliùs doctrinam suam à populis admittendam; videns se, probosque viros passim negligi, dolore plenus, in illa tandem prorupit verba, & dixit: Mea doctrina hodie negligitur, & non propagatur: Quorsum igitur Chinam adhuc incolo? Conscendam ratem, navigaturus per maria, & hoc tam corruptum moribus sæculum ocyùs fugiam. Proculdubio sequetur me abeuntem vel unus hic discipulus meus *Yeu* (vir ad ardua quæque tentandâ promptus æquè & audax) *çu-la* hæc audiens gavisus est. At *Confucius* conversus ad hunc præfervidi animi discipulum, heus, inquit, mi *Yeu*; amore ac studio fortitudinis equidem superas me; at cares re illa qua arripias, quod consultius est; cares, inquam, judicii maturitate.

f. 3. p. 1. §. 1.

PRæfectus Regni *Lù mem vu pe* dictus, volens promovere aliquos ad publica munia, percontatus est *Confucium* dicens: *çu lu* discipulus tuus estne veræ solidæque virtutis? *Confucius* quod sciret virtutem esse rem adeò arduam, ac proinde non facilè temerèque cuilibet tribuendam; prudenter admodùm respondit: vera solidaque virtus res est intimo cujusque animi recessu abdita; adeoque quis eam habeat, vel non habeat, pernosci difficile est: Quare an *çu-lú*, ut à me quæris, veræ solidæque sit virtutis, ego quidem nescio.

§. 2.

SUperiore *Confucii* responso non contentus Præfectus, eundem iterum de virtute discipuli *çu-lu* interrogat: persuadere enim sibi non poterat, *Confucium* nescire discipulorum suorum virtutes. Tum *Confucius* respondit: Cum sit eximiâ fortitudine, bellicâque virtute præditus discipulus meus *Yeu*, in mille etiam curruum bellicorum regno, potest ipsi committi gubernanda ejusdem militia: Verumtamen nescio ejus interiorem virtutem.

§. 3.

IDEM Præfectus de alio *Kieu* discipulo *Confucium* percontatus, ait: Discipulus tuus *Kieu* qualisnam est? *Confucius* respondit: *Kieu* discipulo meo mille etiam familiarum oppidum, vel centum curruum bellicorum familia, potest committi, ut agat eorum gubernatorem; Attamen non mihi constat de ipsius virtute illâ interiore.

p. 2. §. 1.

RUrsum Præfectus interrogans *Confucium* ait: Discipulus tuus *Che* qualisnam est? An ipse fortè eam, de quâ quærimus, solidam virtutem possidet? *Confucius* respondit: Meus discipulus *Che* politiam callet, rituumque est peritissimus, indutus solemni veste, cinctusque Præfectorum cingulo si consistat inter cæteros Præfectos in aulâ regiâ, ubi se videndum exhibet Imperator; potest ei committi munus cum hospitibus legatis ad Regiam adventantibus loquendi & agendi. Cæterum, quod ex me quæris, nescio an ipse sit vir veræ solidæque virtutis interioris.

§. 2.

Confucius alloquens discipulum suum *çu-cum* (erat hic alienorum dictorum factorumve facilis Censor ac Judex) ait: Si te comparavero cum *Hoéi* socio studiorum, uter alterum antecellet?

§. 3.

REspondit *çu-cum*: Ego *Su* (nomen est *çu cum*) qui ausim me ex adverso ponere cum condiscipulo *Hoéi*. Hic enim tantâ valet ingenii perspicaciâ, ut in ipso cujusque rei exordio, ejusdem simul videat terminum; adeoque audiens rem unam, jam inde intelligit decem

decem alias : Cùm interim ego, si quid assequor, longo usus studio & ratiocinatione vix tandem assequar; adeoque audiens rem unam per hanc, si quando succedit feliciter, in congnitionem venio duarum.

§. 4.

Confucius tam modesto discipuli responso applaudens ait : Hoc quod tam syncerè fateris, nimirum te non esse, qualis ille est; ego omnino concedo tibi; planèque assentior te non esse talem qualis ille est. Cæterum hæc ipsa tui cognitio, & tam ingenua professio minoris facultatis, satis declarant, te, auditâ re unâ, plures quam duas cognoscendo posse assequi, & inferre ratiocinando.

f. 4. p. 1. §. 1.

Confucii discipulus *çai-yû* dictus, de die crebro stertebat ac dormiebat; *Confucius* segnitiem ejus reprehensurus ait: Putre lignum non est aptum sculpi: Luteus paries non est aptus incrustari calce, in hoc itaque *çai yû* tam segni torpidoque discipulo cui sit usui correptio mea?

§. 2.

Confucius adeò torpentem exstimulaturus ait: Primis quidem temporibus ætatis meæ ego cum hominibus agens, audiensque illorum verba, protinùs credebam illos eodem modo operari; nec dubitabam, quin agerent quæ dicebant. At modò, mutatâ rerum morumque facie deceptum me agnosco. Itaque jam imposterum agens cum hominibus audiam quidem illorum verba; sed & simul contemplabor eorumdem opera & actiones, an verbis respondeant. Aliter non credam. Cum hoc discipulo meo *Yû* experientiâ jam doctus me correxi in hoc.

p. 2.

Confucius aliquando dixerat: Ego nondum vidi virum fortem. Adstantium fortè aliquis, ad Philosophum conversus ait: *Xin-çem* nonne est fortis? *Confucius* respondit: *çem* discipulus meus obsequitur appetitionibus pravis & oblectamentis sensuum; quomodo censeri potest vir fortis?

f. 5. p. 1. §. 1.

Discipulus *çu-cum* dixerat: Ego quod nolo ab aliis fieri mihi; ego quoque volo non fieri à me aliis; *Confucius* ut hos tam præclarè de seipso sentientis reprimeret spiritus, heus (inquit) mi *Sû* falli te nolo. Clarè loquar: Nondum tu eò pervenisti; adhuc magnum maris æquor arandum est.

§. 2.

Aliquando *çu-cum* dixerat: *Confucii* Magistri nostri exteriorem illam compositionem & ornatum seu styli, seu morum & actionum; potest quis etiam mediocris ingenii assequi & percipere:

At verò hæc à *Confucio* nostro assiduè prædicata natura ejusque dictamen cælitùs homini inditum, non possunt tamen capi penitusque perspici ne à perspicacibus quoque ingeniis.

p. 2. §. 1.

CU-lú præfervidæ indolis discipulus, bonæ laudabilisque rei quidpiam audiens ardebat illicò perficere. Sed quandoque id quod auditu perceperat, non valens ipse quam primùm opere complere; angebatur animo scilicet ac solum timebat, ne interim novi quidpiam esset ad virtutem spectans quod sese offerret denuò audiendum, antequam illud, quod prius intellexerat opere complevisset.

§ 2.

JAM olim in more positum erat Sinis, ut qui in Magistratu aut dignitate suâ laudabiliter vel perperam vixisset, post mortem propriâ vel honoris vel opprobrii notâ afficeretur. *çu-cum* itaque *Confucii* discipulus, cum sciret Regni *Guêi* Præfectum *Cum-yù* dictum, dum viveret, multa haud laudabilia patrasse, (inter cætera author fuerat cuidam *Tai xo çie* nominato, uxoris repudiandæ, ut ei deinde suam ipsius filiam daret nuptui) & tamen post mortem honorifico illo cognomento *Cum-vem-çu* auctum appellatumque fuisse; non parùm miratus, Magistrum interrogat dicens: Præfectus ille *Cum-ven çù*, quânam de causâ post mortem vocatus est, honoratusque literâ illâ *Vên*, quæ ornatum significat. *Confucius* respondit: Præfectus autem iste tametsi acutus ipse & perspicax naturâ esset; tamen gaudebat identidem studere libris & addiscere; nec erubescebat aut dedignabatur inferiores quoque ministros, imo & plebeios consulere, & quidem iis de rebus, quas, qui consulebantur, fortè non usquequaque callebant. Ornatus itaque modestiâ tam singulari dum ageret in vivis, idcircò à morte suâ jure merito cognominatus est ornatus. Liber enim, è quo ejusmodi posthumi tituli depromi solent, sic ait: *Kîn hiŏ háo vên yuĕ vên.* Id-est: qui cùm viverent, diligenter studuerunt, aliosque libenter consuluerunt, à morte cognominandi sunt ornati.

f. 6. p. 1. §. 1.

CONfucius Præfectum Regni *Chím*, *çú chàn* dictum identidem deprædicans aiebat: Præfectus *çù chàn* habet proprias perfecti viri virtutes quatuor. Nam ipse res agens suas ipsius, admodum moderatus, modestoque ac demisso est animo, nunquam se suaque laudat: idem tamen alios, qui probitate conspicui sunt, palàm deprædicat, sibique ultro præfert. Deinde, ipse serviendo & obsequendo Principi ac Superioribus suis magnâ cum observantiâ se gerit, promptéque & alacriter facit imperata. Præterea ipse conservando tutandoque populo perquàm est beneficus, quæ subditis suis commodo sunt & lucro, sollicitè procurans; quæ damno, arcens. De

nique ipse gubernando populo, & jure dicundo magnam adhibet æquitatem & justitiam, nemini favens impensiùs, neminem asperiùs quàm fas sit tractans, æquus adversùs omnes. Itaque Regnum *Chim* tametsi jaceat inter duo Regna præpotentia *çin* & *çû* medio situm loco: tali tamen administro rerum suarum, egregiè tuetur libertatem suam, vimque omnem & insidias vicinorum Regnorum avertit. Tantum scilicet præsidii est, vel in unius viri sapientiâ & virtute.

§. 2.

Confucius ait: *Yén pîm chúm* (nomen hoc erat Præfecto Regni *çî*) omnes explet numeros, in colendâ cum hominibus amicitiâ: Est enim amicus vetus, & tamen reverens. Velut si amicitia foret etiamnum recens.

§. 3.

Confucius ait: *Cam vên chúm* domo suâ abdidit magnam testudinem *çai* dictam, seu, habitat in domo, quæ similitudine suâ refert locum illum nativum testudinis, *çai* dictum. Nam montium figuris cælata habet epistylia, & herbarum palustrium figuris depictas columellas: Qualis, obsecro censeri potest ejus prudentia qui commissi sibi populi oblitus felicitatem captet aut speret ex hujusmodi loco.

p. 2.

DIscipulus *çû-cham* quæsivit à *Confucio* dicens: Gubernator Regni *çu*, nominatus *çu vên*, ter ad officium promotus gessit supremum Magistratum *Lîm yn* dictum, absque ullâ, quam vultu præferret, lætitiæ specie: Idemque exauthoratus est, absque ullâ item, quam vultu proderet, indignationis specie: Imò de præteritâ officii illius sui *Lim yn* administratione infallibiliter certiorem faciebat novum, qui ipsi successerat, gubernatorem, ei sine ullâ prorsùs invidiâ candidè significans, quidquid usu didicerat prodesse vel obesse posse urbi feliciter administrandæ. Ecquid videtur dicendum de hoc viro? *Confucius* respondit: Vir sanè fidelis & rectus fuit: Instat discipulus & ait: Annon solidæ virtutis vir dici potest? Philosophus respondit: Necdum scio. Quomodo enim scire possim an ipse obtinuit solidam animi veramque virtutem.

f. 7. p. 1.

IDEM discipulus *çu cham* rursum percontans ait: Olim Regni *çi* Præfectus *çui çu* nomine, occiderat ejusdem Regni *çi* Regem: Tum alter ejusdem Regni Præfectus *Chin ven çu* dictus, immane parricidium execratus, tametsi ratione dignitatis & muneris sui, quod tum gerebat ibi commodè splendideque viveret, habens equorum decem quadrigas, seu, quadraginta equos; hæc tamen omnia ultrò reliquit, & profectus pervenit ad aliud Regnum: Ubi cum improbos item

Præfectos, Regique parùm fideles offendisset, illicò ait : Hi Præfecti similes & ejusdem omnino farinæ sunt cum nostrate Præfecto *çui çu* : Nihil itaque negotii mihi cum illis sit. Profectus ergò inde, pervenit ad unum aliud Regnum : Ubi similiter offendens improbos Præfectos, illicò etiam ait : Et hi etiam similes omnino sunt nostrati Præfecto *çui çu*. Quare inde quoque abiit profectus aliò. De hoc viro quid tibi videtur ? *Confucius* respondit : Dici sanè meretur, qualis re ipsâ fuit, vir purus & integer. *çu cham* iterum quærit : sed solidæ virtutis vir fuisse dicendus est ? *Confucius* respondit nescio : Cùm enim vera solidaque virtus in intimo corde lateat, & in externis certò deprehendi nequeat ; quomodo ego assequi illicò aut scire possum, an ipse veram solidamque virtutem acquisiverit.

p. 2. §. 1.

OLIM Regni *Lu* Præfectus *Kî vên çù* dictus, vir erat morosus & cunctator in expediendis negotiis : Quippe omnino ter secum ipse perpendebat singula ; ac tum démùm exequebatur. *Confucius* hæc audiens ait : iterum, seu bis expendere maturè omnia, hoc enim verò convenit : nec opùs est deinde cunctari diutiùs ac deliberare ; ne dum justo prudentiores sumus, contra ipsam prudentiam vel maxime peccemus.

§. 2.

Confucius ait : *Nîm vù çù* Præfectus Regni *Guéi*, quando in Regno, seu domo Regiâ, viget probitas, prudens audit apud omnes. Si quando autem Regnum est sine lege ac probitate sic ut perturbari incipiat ac periclitari ; ipse tempestati subducens sese, sic latitat, ut à vulgi oculis remotus, prudentiâ suâ & consilio fulcire labantem Rempublicam non cesset : Cæterùm quia hæc privatus, & clam præstat ; ipse tum rudis audit, meticulosus & ad res gerendas imperitus : At ego sanè sic judico quod ad ejus prudentiam, quâ pacis tempore in regno eminet, facilè possit quis pertingere illumque imitari. At verò ad prudentissimam ejus ruditatem illam, dum perturbata sunt omnia, incolumitati propriæ publicæque consulentem, non potest nisi difficillimè & à paucissimis pertingi.

f. 8. p. 1.

Confucius cum esset in Regno *Chin* ; videret doctrinam suam non admitti ; Revertar itaque, revertar in patrium Regnum *Lu* : Saltem populares mei adolescentes discipuli, ut sunt altioris spiritûs ad summa quæque adspirantis, & inferiora communiaque aspernantis, ita ad elegantiam & ornatum contexunt orationes suas & lucubrationes ; nec sciunt interim quid & qua ratione castigent ; ignari scilicet regulæ illius secundum quam solemus quidquid est nimium, ultraque fines recti luxurians prudenter amputare.

p. 2. §. 1.

CONfucius dixit: *Pē y* & *Xō cī* filii Regis Regni *Cu chō* (de quibus parte 4. agetur) Non reminiscebantur, sive, non revocabant in memoriam præterita aliorum scelera. Licet odio haberent improbos propter scelera sua, si tamen serio resipiscerent; sic eos complectebantur, ac si nihil unquam peccavissent. Querelarum igitur & obmurmurationum de istis quidem Principibus fuit usus longè rarissimus: Adeò chari erant omnibus, graves odiosique nemini.

§ 2.

Vi sem cao vir erat in opinione quidem vulgi admodum syncerus & candidus: Sed *Confucius*, qui observârat hominem, ut ostendat quam obnoxia sint errori judicia multitudinis imperitæ, unam exponens ipsius actionem sic ait: Ecquis, obsecro, dicat *Vi sem cao* virum esse rectum & syncerum, quandoquidem nuper uno aliquo petente ab illo acetum; cùm ei reverà non esset, non hoc tamen ingenuè fassus est; sed contrarium simulans clam mutuum petivit à suo vicino, & petenti dedit. Porrò videant nunc, qui candorem hominis usque adeò deprædicant, an res ipsa famæ respondeat.

f. 9. p. 1. §. 1.

CONfucius aiebat: Affectata comptæ orationis verba, quibus mulceas ac titilles hominum aures: affectatam item blandi oris speciem qua aliorum oculos allicias: Nimias denique cerimonias, quibus aliorum gratiam animosque captes; artes scilicet industriasque levium hominum atque fallacium, ad voluntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem; verbo, adulatorum; insignis quidem vir ille *ço kieu mim* erubescebat & damnabat: Et ego quoque non minus erubesco & damno. Præterea mutua hominum inter se consuetudo, fidem & candidam veritatem vel maximè postulat: Itaque tegere odium animo conceptum & iterum falsis simulatæ amicitiæ officiis prosequi eum ipsum hominem quem revera oderis vir ille sapientissimus *ço kieu mim* item erubescebat oderatque, sed & ego quoque detestor & erubesco.

§. 2.

DIscipuli *Yen yven* unus, alter *Kī lu*, vel *çu lu* soli adstabant lateri *Confucii* Magistri sui, tum *Confucius* ad illos conversus ait: Cur non uterque mihi exponitis vestrum animi propositum ac desiderium?

§. 3.

CU-lu prior respondens ait: Desidero ego currus & equos; induisque bonis ac levibus pellicéis; & hæc omnia cum amicis habere communia: eisdem quoque res meas atterentibus longo usu & prorsus absumentibus tamen neutiquam indignari, nec id molestè ferre.

§. 4.

DIscipulorum alter *Yen yven* deinde item respondit : Ego vero desidero non ostentare, aut inaniter jactare, si quæ in me sunt bona; nec extendere vel amplificare merita mea coram aliis.

p. 2.

TUM illorum alter *çu lu* ait: Desideramus nunc audire tuam sententiam, desiderium ac votum. Tum *Confucius* respondit; Quod ego imprimis expeto, hoc est, ut ii qui jam grandes natu sunt, placidè quiescant, foveantur ab omnibus & observentur : ut amicos inter & æquales mutua fides constet : ut, qui minores ætate sunt, qui valetudine, viribus, conditione cæteris inferiores amanter & benignè foveantur : Verbo, votum generis humani, votum meum est.

f. 10. p. 1. §. 1.

Confucius ait : Actum est, proh dolor ! Quotus enim quisque reperiatur hac ætate nostrâ, qui suimet severus censor sit, idemque testis, accusator, & Judex : Ego quidem nondum vidi quemquam hujusmodi, qui vellet, inquam, agnoscere suam culpam, & intus, id est, pro interiori illo mentis suæ quasi tribunali semet in jus vocare, seseque reum agere, debitasque exigere pœnas.

§. 2.

Confucius ait : In quolibet quamvis ignobili & parvo, exempli gratiâ, decem nec amplius, domorum pago, utique dantur aliqui synceri homines ac veraces (qualis & ipse sum) proprio quodam naturæ beneficio tales. At non dantur æquè ut ego amantes discere & proficere.

§. 3.

Confucius laudaturus discipulum suum *Gen-yum* ait: Discipulus meus *Yum* vir est admodùm moderatus, lenis, minimèque minutus ac tetricus; dignus proinde, quem faciant Austrum versùs respicere, sive obverso ad meridiem vultu confidentem jus dicere: Id est, dignum judico præfecturâ. Nam apud Sinas non tantùm Regis aula, sed omnium etiam Præfectorum Regiorum tribunalia Austrum respiciunt.

p. 2. §. 1.

MODO memoratum discipulum *Yum*, seu *Chum cum* cupido incessit percunctandi de *çù sam pĕ çù* dicto, quem studio & indole sibi haud absimilem esse noverat; magistrum itaque interrogavit de *çù sam pĕ çù*, quid ipsi videretur ? *Confucius* respondit: Potest, seu, dignus est, & ipse magistratum gerere : vir enim moderatus est nec qui minutiis intentus, majora negligat.

Iste çù sam pĕ çù *oriundus è Regno* Lù *(quem non injuriâ quis vocet Diogenem Sinicum) Magnus fuit vel suimet contemptor, vel certè gra-*

vitatis elegantiaque Sinicæ : laceris incedebat vestibus & sine pileo, adeò non erubescens paupertatem suam, ut ostentaret potiùs ; dicere solitus : Nec cœlum clam tegit omnia, nec terra clam sustinet omnia: quo pacto igitur cœlum ac terra velint me tegere paupertatem? *Facetum illud quod de ipso traditur :* Confucius *visendi gratia adibat hominem : At is discooperto ut erat capite tantum hospitem excepit: haud leviter ea res* Confucii *discipulos offendit, quòd, neglecto ritu operti capitis hospitem salutaret : qui adeò, quorsum (inquiunt) ô Magister adis hominem usque adeo agrestem & rusticum ? Ad quos Philosophus : Placet mihi recti hominis simplicitas ; rusticitas utique non placet : At huic ego mederi pervelim. Ipsum deinde* çù sam pé çù *quod is vicissim pararet salutare* Confucium *discipuli sui gravitate* Confucianâ *nihilo minùs offensi, dehortabantur scilicet : Quibus ille non auditis : Eundum est, inquit : nam integritas hominis mihi placet, gravitas non item : At huic ego mederi desidero.*

§. 2.

AD hæc *Chum cum* quærens ait : ut quis domi suæ secum ipse severus sit & rerum quamvis minimarum rationem exigat ab se, & sicubi peccatum est, etiam pœnas ; At verò foris, & dum gerendæ sunt res publicæ ; tunc uti remissione quadam indulgentiâque in gubernando suo populo nonne expedit ? Contrà verò domi suæ, id est, in suâ ipsius personâ, seu, secum ipso remissum esse, sibique indulgere ; & dum gerendæ sunt res publicæ similiter esse remissum, nonne hæc est nimia planè remissio, & quæ cedat in damnum non unius tantum, sed multorum ?

§. 3.

Confucius supradictum discursum approbans ait : Discipuli mei *Yum* verba omnino vera sunt.

f. 11. p. 1.

NGAI cum Regulus Regni *Lu* quæsivit ex *Confucio* de discipuli ipsius, ecquis eorum esset præ cæteris studiosior. *Confucius* respondit : Fuit mihi discipulus *Yên hoêi* admirabili quodam ardens studio discendi & proficiendi. Itaque omnino non transferebat is seu exerebat iram vel in homines vel in res, à quibus lacessitus fuerat. Neque is etiam bis unquam peccabat. Sed infelix abruptâ vitâ meo ac bonorum omnium dolore immaturè obiit (ætatis scilicet anno trigesimo secundo) terris tantum ostensus. Nunc igitur ipso mortuo, ego adhuc quidem non cognovi quemquam, nec audivi, qui pari flagraret studio virtutis ac sapientiæ.

f. 12. p. 1. §. 1.

HOC paragrapho discipuli commendant *Confucii* Magistri sui æquitatem in conferendis beneficiis. Nam discipulo *çù hoa* fortè misso ob publica quædam negotia in Regnum *çi*, jussu *Confu-*

cii; discipulorum alius *Gén çù* dictus, pro ipsius condiscipuli matre apud *Confucium* tunc Magistratu fungentem intercedens rogavit ut præberetur eidem milium per modum annonæ. *Confucius* respondit: Detur ei una mensura *Fu* dicta, quæ è minoribus est. Verùm cum parum id esse videretur; rursum patrocinatus, rogavit augeri mensuram: Et *Confucius* respondit: Detur ei major mensura *Yu*; sed cùm hoc etiam auctarium tenue esse videretur; ipsemet *Gen-çu* promens de suo, præbuit ei milii quinque mensuras grandes *Pim* dictas, utique prodigâ, & majore, quàm par erat, liberalitate.

§. 2.

Confucius, memoratam discipuli sui *Gen-çù* liberalitatem, uti nimiam, damnans; ne putes (inquit) avaritiâ quâdam, sordidâve parsimoniâ factum esse, quod non jusserim præberi amplius. Etenim condiscipulus tuus *Che çu* (idem est qui *çu hoa*) profectus in Regnum *çi* conscendit splendidum & probè pastum equum, & induit sese levibus optimisque pelliceis, quippe dives ipse ac locuples. Atqui, quod semper ego audivi vir probus ac prudens elargitur egentibus, non autem superaddit divitibus.

§. 3.

Confucius in Regno *Lu* primi ordinis gerens Magistratum, discipulo suo *Yven sù* ibidem oppidi Præfecto sic tamen ut ipsimet *Confucio* pareret, præbuit in censum præfecturæ, quam exercebat, novies centum (non exprimitur species mensuræ, aut rei in censum datæ) at ille recusavit.

§. 4.

Confucius factum improbans ait: Ne recuses stipendia à Rege statuta. Si superflua familiæ tuæ sunt, admittas tamen, ut dispertiaris inter tuas villas, pagos, vicos, & oppida curæ tuæ commissa, in quibus utique egeni & pauperes.

P. 2.

Sinenses olim ad sacrificia tantum adhibebant animalia unius coloris: ipse verò color alius fuit atque alius pro varietate temporis & familiarum, penes quas fuit Imperium. Tempore Imperii *Cheu* rufus erat in pretio. *Confucius* igitur loquens de discipulo suo *Chum çum*, eumque sub appositâ metaphorâ laudare volens, ait maculosæ seu versicoloris vaccæ filio sive vitulo, rufo toto & instructo suis cornibus eleganter rotundis: Tametsi hominum plerique velint non uti ad sacrificium, eò quod natus sit ex maculosâ matre: Anne etiam montes & flumina (præsides, inquam, montium fluminumque spiritus) illum idcirco respuent, si offeratur? Haud opinior. Ita ergo discipulus hic meus, tametsi pater ei sit vilis & abjectæ conditionis homo, variis item notatus vitiorum maculis, adeoque maculosi bovis instar; ipse tamen virtute insignis,

rufi

rusi instar est vituli. Uti igitur stulto certè improboque filio, nec virtus patris ac sapientia ornamento esse potest; nec improbitas stultitiaque patris fraudi esse debet probo filio & sapienti, adeoque digno qui ad publica munia adhibeatur.

f. 13. p. 1. §. 1.

Confucius aiebat: Solus *Hoéi* discipulus erat cujus animus sui victor trium mensium spatio, nunquam amittebat hanc virtutem *Gîn*.

Virtus Gîn *est illa interior & solida animi perfectio quâ fit ut naturale lumen cœlitus inditum constanter sequamur, sic ut à suscepto cursu ne exiguo quidem temporis momento desistat.*

At verò cæteri discipulorum meorum, uno quidem die, nonnulli etiam mense uno satis animosè dant operam excolendo animo, victoriæque sui; adeòque pertingunt & ipsi, quò tam impigrè fortiterque contendunt: Sed enim non est perpetua quædam vis atque contentio: consistunt tandem, & mox aguntur retro; & non sine labore parta, repente amittunt.

§. 2.

Ki cam çu Præfectus Regni *Lu* quærit à Philosopho, an *Chúm yéu* discipulus ejus possit admoveri gerendæ Reipublicæ? *Confucius* respondet: Discipulus meus *Yéu* vir est haudquaquam lentus, aut timidus; sed admodùm certi promptique consilii, quique adeò lites quaslibet sapienter decidere, & quæcumque etiam intricata difficiliaque negotia expedire queat: In gerendo igitur magistratu quid habeat, obsecro de quo laboret? Præfectus rursum quærens ait: Discipulus tuus *Sú* potestne admoveri item gerendo magistratui? Respondet Philosophus: Discipulus meus *Sú* est perspicacis & omnia penetrantis ingenii, quo rerum causas, negotiorumque rationes omnes ac fines perquàm facilè cognoscit: In gerenda itaque præfectura, quid habet negotii vel difficultatis? Tertium quærens ait: An etiam *Kiéu* discipulo tuo potest injungi administranda Respublica? Respondet *Confucius*: *Kiéu* discipulus meus arte valet & ingenio ad res omnes idoneo: ad gerendum itaque magistratum quod attinet, quid impedimenti quæso habet, quominùs eum præclarè gerat?

p. 2.

Ki xi Colaus Regni *Lu*, vir improbus misso nuntio jussit *Confucii* discipulum *Mim çu kien* agere *Pí* oppidi sui Præfectum: *Mim çu kien* ut erat vir probus & integer nuncio dixit: Quæso te, optimis verbis pro me recusa ac deprecare onus, quod usque adeò reformido. Certè si contigerit, ut excusationem non admittat, & tu iterum revertaris ad me cum eodem mandato; tunc ego necessitate compulsus fuga mihi consulam, & consistam ad flumen *Vén* in

extero Regno *çi*. Præclarus sanè Philosophus, qui dignitatem & censum ab improbo delatum, exilii molestiis posthaberet.

f. 14. p. 1.

VETUS erat mos Sinarum, ut qui decumbebant ex morbo, lectulum collocarent ad Borealem fenestram domûs suæ, oppositi directè meridionali plagæ ejusdem domûs. Quoniam verò similimus quoque situs erat Regis, quotiescumque is considebat, ut scilicet obversus Aquiloni, Meridiem recta fronte respiceret: idcirco, si quando Rex visebat ægrotantem; stratum hujus ad Meridionalem cubiculi partem sine morâ transferebatur, tantoque hospiti locus honoratissimus, uti par erat deferebatur. *Pe nieu* itaque discipulo *Confucii*, fortè ægrotante eumque visendi gratiâ adeunte *Confucio*; voluit is honore quanto poterat maximo excipere Magistrum; stratumque suum non secus ac si Regem præstolaretur, transferri jussit. At *Confucius* rem subodoratus, & certùs haud admittere honorem uni debitum Regi, peramicè quidem percontatus est discipulum de suâ valetudine; cæterum ab ingressu cubiculi abstinens sese, forinsecus ex ipsâ fenestrâ, ad quam æger applicuerat lectulum, apprehendit ejus manum; certaque notans mortis indicia, ingemiscens ait: Moriendum est. Hæc est cæli voluntas. Proh dolor! fierine potest, ut cum talis ac tantus vir sit, tamen habeat talem morbum! fieri ne potest, ut cum talis ac tantus vir sit, tamen habeat talem morbum!

p. 2. §. 1.

HIlarem pauperiem, frugalitatemque discipuli sui *Yen hoêi* celebraturus *Confucius* ait: O quam sapiens ac probus erat *Hoêi* discipulus meus charissimus! Cum uno quasillo seu fiscella orizæ coctæ in cibum, & unâ scutellâ aquæ in potum contentus & alacer, degebat in vili desertoque plateæ angulo. Cæteri homines utique non valerent sustinere hanc ejus tantam in victu cultuque asperitatem; adeoque plenam tædiorum, ut autumant, mœstamque vitam. Sed enim magnus ille Philosophus *Hoêi*, sui semper similis nullo modo mutabat suam lætitiam. O rarum! ô verè sapientem virum discipulum meum *Hoêi*.

§. 2.

GEN *Kiêu* remissioris animi discipulus cum *Confucio* Magistro suo colloquens ait: Non est quidem quod ego non amem æstimemque tuam, *Confucii* doctrinam & quod ideò parum in ea proficiam: Sed vires meæ non sufficiunt. *Confucius* respondit: Vires cui non sufficiunt is in medio viæ consistit. Nunc autem tu, mi bone vir, per socordiam viâ nondum cœptâ tibi terminum ipse statuis.

f. 15. p. 1. §. 1.

Confucius alloquens discipulum suum *çù-hiá* ait: Tu, mi discipule, unus esto de perfectis illis, verèque magnis ac Regiis literatis: Haudquaquam sis de literatulis illis, seu vilibus improbisque literatis.

§. 2.

Cu yeu discipulus *Confucii* olim agebat oppidi *Vu-chim* in Regno *Lu* Præfectum. *Confucius* eò divertens, percontans ait: Tune in hoc oppido nactus es egregium virum tibi familiarem? Respondit discipulus: Est hîc vir unus ex familiâ *Tan tai* nomine *Miè mîn*, homo perquam serius & rectus, qui per Regiam virtutis viam incedens, nunquam declinat ad obliquas privatarum affectionum semitas. Itaque nisi detur publicum aliquod negotium, non admodùm frequens venit etiam ad meas, amici tamen sui, ædes.

p. 2.

Confucius laudans Præfectum exercitûs *Mem chi fan* à singulari quâdam modestiâ, admirabundus sic ait: *Mem chi fan*, nunquam se jactat. Nuper quidem ardente bello inter regna *Lù*, & *çi*, cùm inito fortè conflictu funderetur exercitus noster, cum jam strages cum fuga fieret, ipse tum præsenti animo in extremo agmine persistebat, victoris impetum reprimens, impigrè munus obiens ducis pariter militisque. Ubi verò plerisque suorum in tuto positis, ipse etiam jamjam ingressurus erat propriæ urbis portas; tùm videlicet stimulavit suum equum, postremus omnium incedens, & dixit: Haud equidem fuissem ausus ego accepta clade postremum tenere agmen fugientis exercitus, sed enim equus hic meus lassitudine fractus non progreditur.

f. 16. p. 1. §. 1.

Confucius videns in Regno *Guéi* promòveri eos dumtaxat qui valerent gratia vel diserti oris vel venusti, ingemiscens ait: Nisi cuipiam fuerit vel *Chò tò* Præfecti loquacitas vel certè fuerit venustuli illius *Sum chao* lepor & elegantia, difficile est evadere ab hoc præsenti sæculo, nec insidiis invidorum, odiisque & injuriis inimicorum opprimi.

§. 2.

Confucius ait: Quis autem egrediatur domo, & non per ipsos egrediatur postes domûs? Cur igitur non procedimus per ipsam viam? Cur inquam non simili ratione quidquid negotii suscipimus, quidquid aggredimur rerum, per ipsam cujusque rei convenientiam & propriam quasi viam postemque ingredimur; & perducimus ad finem, quem nobis ipsi præfiximus.

§. 3.

Confucius ait: Si simplex naturæ indoles excedit exteriorem ornatum & compositionem, id est, si natura sibi prorsus relicta sit, nihilque vel subsidii, vel ornamenti acceperit ab arte, vel culturâ tum illa procul dubio rude quid erit, rusticumque & agreste. Contra si ars, seu veriùs ornatus ille cultusque, exterior, excedit naturalem, illam simplicitatem; tum affectatum, nescio quid, merè politicum & merè concinnulum existet. At verò si interiori naturæ simplicitati & candori exterior ille cultus & ornatus ita societur, ut citra excessum alterutrius vel defectum sibi mutuo gratâ cum diversitate, sed & justâ cum proportione respondeant: Tum demum verus existet *Kiun çu*; existet (inquam) illustre quiddam & numeris suis absolutum, viri scilicet gravis ac politi pulcherrima sanè species: Sicut & pulcherrimam solet efficere in ipso quoque corpore, apta figura membrorum cum suavitate quadam coloris conjuncta.

p. 2. §. 1.

Confucius ait: Homo nascitur rectus. Depravatur? Tum vivere illum, & mortem evadere, fortuitum ac immeritum quid est.

§. 2.

Confucius agens de tribus quasi classibus hominum virtutem profitentium, sic ait: Ii qui intelligunt ac satis perspectum habent quid sit virtus, & quantoperè sit expetenda, non sunt æquiparandi cum iis, qui amant, id est, qui virtutem studio affectuque prosequuntur, sed hi quoque virtutis amantes non sunt æquiparandi cum illis, qui jam læti potiuntur eo quod amant.

§. 3.

REctam docendi alios rationem traditurus *Confucius* sic ait: A mediocris ingenii hominibus sursum ascendendo, possunt utique proponi sublimiora, quippe capient, discentque feliciter. At verò à mediocris ingenii hominibus deorsum descendendo, non possunt proponi sublimiora: Quippe tam ipsi, quàm qui docere ipsos voluerint, oleum & operam perdent.

f. 17. p. 1.

DIscipulus *Fân chî* Magistrum suum percontatus est de Prudentiâ, seu prudente. *Confucius* respondit: Quisquis enixè dat operam humanis, seu iis quæ hominem maximè condecent virtutibus: Veneratur item spiritus, & cum iisdem nonnisi eminùs agit, hic demùm potest dici verè prudens. Discipulus *Fân-chî* percontatus est de virtute *Gîn*, seu de interiore, eâque solidâ & consummatâ virtute. Respondit *Confucius*: Veræ solidæque virtutis homo si primùm laboret, & postea obtineat; tum poterit dici veræ solidæque virtutis homo.

p. 2. §. 1.

CONfucius ait : Æqui verique perſpicaces induſtriique homines gaudent aquis : At verò ſolidæ virtutis viri gaudent montibus. Illi quippe, id eſt, æqui verique perſpicaces homines, non aliter quàm fluenta quædam in perpetuo ſunt motu; dum res, cauſaſque rerum indagant; dum alia ex aliis deducunt, ſemperque agunt quid & moliuntur : Iſti verò, id eſt, ſolidæ virtutis viri, montium inſtar in perpetua quiete firmi immobileſque perſiſtunt. Æqui verique perſpicaces viri quidem jucundè vivunt; virtutis autem poſſeſſores, quia tàm placidè, tam tranquillè; idcircò etiam diu vivunt.

§. 2.

CONfucius ait : Regnum çi, ſi fortè fortunâ reſtaurabitur aliquando, ſimul atque mutatio illa in melius, ſeu reſtauratio continget, vix tamen ipſum pertinget ad præſentem Regni noſtri *Lù* ſtatum. At verò Regnum *Lù* ſimul atque ſimili mutationi ſeu revocationi locum dabit; aſſequetur illico Priſcorum Regum ſuorum virtutem, & regendi inſtitutum. Cum enim civilis illa comitas & obſervantia, etiamnum vigeant, nihil in eo magnoperè deſideratur, niſi ut reſtauret ac renovet propè jam collapſam clementer ac juſtè ſubditos regendi rationem.

f. 18. p. 1. §. 1.

CONfucius ut doceat, unumquemque mortalium vel implere nomen ſuum oportere, vel certè deponere; ſimili utitur petito à tabellâ quadratâ vulgo *cu* dictâ, quâ olim Sinæ papyri loco utebantur ad ſcribendum : Ait itaque : Tabella illa quadrata *cu* niſi quadrangularis fuerit, quadrata qui dicetur? Si Rex quæ Regis, ſi homo quæ hominis ſum non exerceat, quomodo dici poteſt Rex vel homo?

§. 2.

CAI ngo diſcipulus virtutem (pietatis imprimis) Sectari ſe profitebatur, cum tamen virtutis hujus naturam ac proprietates necdum ſatis ipſe perciperet : Magiſtrum itaque interrogans ait : An homo verè pius, aliorum amans, talis eſſe debet, ut tametſi nonniſi incertæ fidei quiſpiam nunciet dicatve in puteo eſſe hominem qui periclitetur, ipſe è veſtigio nuntiantem proſequatur, ac cum periculo capitis ſui in puteum ſe demittat? Ad hanc diſcipuli quæſtionem *Confucius* reſpondit : Quorſum faciat is hoc modo? vir perfectus, tenetur ille quidem ſuccurrere periclitanti : Sed non tenetur neque licitè poteſt cum præſentiſſimo diſcrimine; quo fiat, ut nec alteri nec ſibi conſulat, quocirca expedit decipi, non tamen expedit perire.

p. 2. §. 1.

Confucius ait: Verus Philosophus amplissimo quodam versatur studio in libris scientiisque omnibus; omnia examinans restringit exigitque ad regulam rectæ rationis. Et sic quidem fieri poterit, ut is à veritate & virtute nunquam declinet.

§. 2.

Confucius olim in Regno *Guéi* Magistratum gerebat, Imperante *Lim cum* Rege. Porrò conjugem Regis *Nân-çu* dictam cupido incessit Philosophi: Philosophus haud ignarus fœminam esse deterioris famæ, semel iterumque congressum excusarat. Sed cum instaret illa (quippe moris tunc erat, ut quotquot magistratum gererent, etiam Reginæ sisterentur) *Confucius* offensionem metuens adivit tandem Reginam *Nan-çu*. Discipulus *çu-lu* non admodum probavit factum Magistri. Sed enim *Confucius* egregio conscientiæ suæ fretus testimonio, haud cunctanter obstringens se jurisjurandi religione sic ait: Ego si quid iniqui seu flagitiosi in animo admisi, si quid peccavi; cœlum me execretur! cœlum me execretur!

Idem Lim cum, *uti memorant fasti Sinenses, dum quodam die cum* Nançù *Reginâ urbem lustrat uno eodemque vectus curru obvium fortè* Confucium *compellans invitavit, ut in unum ex curribus qui Regium pone sequebantur, conscenderet: At Philosophus immodestiâ tantâ viri fœminæque, tametsi conjugium, eodem curru considentiam vehementer offensus non sine stomacho oblati currûs honorem recusans discessit.*

f. 19. p. 1. §. 1.

Confucius ait: Aurea mediocritas, seu medium tenere in omnibus etiam quotidianis & ordinariis actionibus, hæc demum est veræ perfectæque virtutis. At hæc quam ardua & sublimis est! Mortalium paucorum illam esse jam vetus aliquid est. vetus malum: vetus querela est.

§. 2.

Discipulus *çu oum* agens de virtute illa *Gin* quatenus pietas vocatur de illa consulens *Confucium* sic ait. Si detur ergò quispiam largissime beneficia conferens in alios, itemque potens opitulari omnibus, quid tibi videtur? An, ejusmodi qui sit, poterit censeri ac dici verè pius. *Confucius* respondit: Quomodo res ista à pietate hujusmodi quam affers perficienda? necessaria quoque hic est sanctitas. *Yâo* & *Xún* ipsi hîc quoque laborabant: & ad hoc impares vires suas esse sentiebant huic virtuti assequendæ.

p. 2. §. 1.

Est igitur sanctitas illa vel charitas pietasve quam exigo, mi discipule, affectio animi constans & consentanea rationi, quâ quis abjectâ propriæ utilitatis commodivè curâ, totius orbis homines amplectitur, haud secùs, ac si unum quid idemque secum fo-

rent; atque adeò communem cum iisdem sensum tam inter prospera, quàm adversa & habet & prodit. Exempli causâ hujuscemodi pius ipsemet desiderans erigi ac florere, protinus consilio, & ope & operâ, etiam erigit quoscunque alios, quos vel nativæ tenuitas, imbecillitasque depressos humi teneat, vel gravior fortunæ casus ex alto dejectos afflixerit, prostraveritque. Similiter ipsemet volens feliciter res penetrare; non sustinet videre alios, qui vel errant cæci, vel laboribus ac difficultatibus victi succumbant; sed ipse per se nihil non tentat ac molitur quo opituletur & his & illis, atque ita etiam penetrare facit alios & perfringere objectas difficultates, & ex errorum ignorantiæque tenebris feliciter tandem eluctari. Hæc porrò charitas pietasve, ubi mortalium animis semel insederit; tum verò totus orbis unius erit instar familiæ, quin & hominis unius instar homines erunt universi, & quidquid ubique rerum est propter admirabilem illum summorum, mediorum, infimorum inter se mutuò nexum atque ordinem, unius & ejusdem substantiæ esse videbitur.

§. 2.

ALIOS itaque diligamus, sicut nos ipsi diligimus: Alios ex nobis metiamur: Labores, aliorum & commoda ex nostris æstimemus. Denique, ut paucis omnia complectar, nosse è propinquo (sive à nobismetipsis) desumere seu instituere comparationem ad alios, quibus adeò contingere velimus aut nolimus id omne, quod ipsi nobis contingere volumus aut nolumus; hæc demum potest dici virtutis Γνῶ, seu memoratæ jam charitatis ac pietatis exercitandæ ars ac regula.



LIBRI TERTII
PARS QUARTA.

Fol. 1. pag. 1. paragr. 1.

CONFUCIUS ait : Præco ſum, ſeu relator, & non author doctrinæ, quam palàm facio. Credo, & amo antiquitatem, ex quâ ſtudiosè ſuffuror, & excerpo quæ ad rem meam ſunt; imitatus in me ipſo famoſum illum ſenem *Pûm* : Quippe qui prior veterum monimenta ſimili conatu, tradidit poſteritati.

Narrant Sinenſes hunc Laò Pùm *ſeptingentos vixiſſe annos vegeto ſemper corpore; attigiſſeque tempora familiæ* Xam; *quâ imperante magiſtratum quoque geſſerit.*

p. 2. §. 1.

Confucius ait : Vacare ſilentio, &, quæ ſeu vidimus, ſeu audivimus, recolere memoriâ : Seriò conſtanterque dare operam ſtudiis, & non affici tædio : docere alios, nec frangi vel fatigari docendi labore : Tria hæc quo pacto fuerint in me aliquando?

§. 2.

Confucius ait : virtutem non coluiſſe ſtudioſiùs; de optimis ſcientiis ac diſciplinis non diſſeruiſſe crebriùs; audiviſſe quæ recta & conſentanea rationi ſunt, nec tamen valuiſſe ad ea me transferre; denique vitia non valuiſſe pro voto emendare : hæc, inquam, quatuor ſunt meus dolor, & juſta mœroris cauſa.

§. 3.

DIſcipuli Magiſtrum ſuum *Confucium* hoc elogio paſſim celebrabant, *Confucius* magiſter noſter, inquiebant, quotieſcumque ſolus & à negotiis liber domi degebat, quam erat jucundus & affabilis, quam explicato ſerenoque animo! Quam comis ac placidus!

f. 2. p. 1. §. 1.

Confucius jam senior, dicebat: Magna sanè est mea nunc imbecillitas. Nunc diu est quod ego non amplius (uti olim cum ætas vigerot) per somnium videam magnum illum magistrum *Cheu cum*.

§. 2.

IN hoc paragrapho, & quatuor sequentibus declarat Philosophus, quo tandem modo consummetur ac perficiatur virtutis studium, sive, quid agendum sit virtutis studioso, ut in eâ perfectus evadat. *Confucius* itaque ait: Primùm mens defigenda in consentaneo rationis dictamine, seu in eo quod ratio à nobis exigit.

§. 3.

DEinde, seriò magnoque animo arripienda, seu apprehendenda virtus.

§. 4.

TErtiò firmiter incumbendum in absolutam virtutis interioris perfectionem.

p. 2. §. 1.

QUartò ut vigeat exercitium, & quæ hoc consequitur facilitas & peritia in bonis artibus officiisque.

§. 2.

MORE receptum jam olim apud Sinas erat, ut qui se alteri instituendum liberalibus disciplinis traderet, primo statim accessu minerval Magistro offerret. Tenuissimum porrò minervalis genus erat fasciculus siccatæ carnis decem minimum frustis constans. *Confucius* ait: Quicumque, accesserunt ad me, ut in disciplinam meam admitterentur, incipiendo ab illis, qui offerebant fasciculum siccatæ carnis, infimum minervalis genus & ab his ascendendo ad alios qui offerebant lautiora; horum ego neminem unquam non institui ac docui.

§. 3.

Confucius ait: In scholâ sapientiæ non adhibentem conatum, hunc ego quidem non erudiam. Item non aperientem mihi verbis mentem suam, quia scilicet vel nolit, vel non possit; eum nec ego intelligam, nec errores ejusdem vel dubia habere potero perspecta. Denique proponente me unum quadrati angulum, & tamen non ex hoc reliquos tres angulos per se inferenti; huic certè non repetam amplius eandem frustrà crambem.

f. 3. p. 1. §. 1.

LAudant hoc & sequenti paragrapho discipuli Magistrum suum. *Confucius*, inquiunt, funebribus officiis perfunctus, ac deinde solemnes inter epulas ad eorum qui funus duxerant latus assidens; de appositis cibis vix cogitans, haud unquam famem explebat: tanto scilicet tenebatur luctu desiderioque illius qui obierat.

§. 2.

IDEM *Confucius* in ejusmodi funebri die ubertim plorabat defunctum, atque ità prorsus non canebat.

§. 3.

Confucius alloquens discipulum suum *Yen yven* ait: Qui evocati adhibitique ad munia publica, actutum & sine tergiversatione, capessamus Rempublicam: Rursus qui amissâ dignitate illâ, illicò & sine querimoniâ, molestiave animi, privati latitemus domi nostræ; soli (opinor) ego & tu sumus ejusmodi.

p. 2. §. 1.

DIscipulus *çu lu* audiens à Magistro laudari condiscipulum, ut erat ipse bellicæ fortitudinis suæ sibi conscius; si inquit, *Confucius* Magister ducturus esset (*Reverentiæ ergo præsentem in tertiâ personâ alloquitur, more gentis usitatissimo*) Tres exercitus; tum quemnam sibi adjungeret in collegam.

§. 2.

Confucius, ut vanos simul martiosque spiritus discipuli deprimeret, sic ait: Inermis ac nudis manibus qui aggrediatur indomitam tigrem, & sine rate vel schapha committat sese spatioso rapidoque flumini: mille item inter mortes versetur; & tamen non aliquo teneatur metu: Hunc ego sanè nolim mecum copias ducere. Rarò namque temeritas usui fuit, damno quàm sæpissimè, honori nunquam. Necesse est quidem non perturbari in rebus asperis; sed quando se offert discrimen anceps ac improvisum, tum vel maximè præsentis animi uti consilio, & considerate vigilanterque se gerere. Quanquam multò etiam malim talem & conari, & verò gaudere percipere animo futura & aliquanto ante constituere, quid accidere possit in utramque partem.

f. 4. p. 1. §. 1.

Confucius insanos hominum conatus in coacervandis opibus perstringens ait: Divitiæ si quidem possunt humanis viribus industriisque obtineri; ad eas obtinendas, vel Agasonem, si necesse fuerit ego quoque agerem. Si copiæ & opes non possunt humanis viribus industriisque comparari, sed à solo cœlo dependeant; sequar scilicet ipse quod amo, & teneor & possum, lumen, inquam, ductumque rationis à cœlo mihi inditum.

§. 2.

TRIA narrantur fuisse in quibus *Confucius* plurimum vigilantiæ, curæ & operæ ponebat; abstinentia scilicet, antequam sacris operaretur, conflictus cum hoste, morbus.

§. 3.

XAO nomen est seu genus Musicæ ab Imperatore *Xún* olim conditæ, quâ continentur virtutes ac laudes magni illius Legislatoris *Yao* dicti; à quo & ipse *Xún* ad Imperii societatem & deinde successionem assumptus fuerat. *Confucius* ergo collabente paulatim familia *Cheu*, existens fortè in Regno *çi* ibique audiens musicam illam *Xao*; tanto repentè sensu voluptatis affectus est; ut cum tertium jam mensem illâ pasceretur quippe tribus omnino mensibus, non perciperet carnium, quibus vescebatur, saporem. Enimverò (aiebat ipse) Haud unquam ego existimaveram eum qui composuit hanc musicam, pertigisse ad hujusmodi suavitatem.

p. 2. §. 1.

LIM *cum* Rex Regni *Guéi* habuit filium nomine *Quái quei*: Hic quòd novercam adulteram occidere tentavisset, à Patre è Regno ejicitur. In vicinum itaque *çin* Regnum profugit; sed relicto domi filio, cui *Che* nomen erat. Moritur interea *Lim cum*. Populus filium profugi Principis in avito collocat solio. Audiunt hoc, qui patrem susceperant. Damnant factum. Reducunt profugum. Obsistit filius, & clam missa armatorum manu, venire prohibet. Inter hæc varii sermones hominum atque sententiæ. Negabant illi, esse licitum filio tenere Regnum vivo Patre & invito: Sed hi contrà excidisse jam pridem jure Patris & Regni, qui vitæ Matris, tametsi non suæ, struxisset insidias. Utique non alteri, quam qui & innocens esset, & filius, deferendum videri sceptrum. Porrò sub idem tempus *Confucius* degebat in hoc ipso Regno *Guéi*: Ejus itaque discipulus *Gen yen* à condiscipulo *çu cum*, quærit, an *Confucius* quoque favet eidem *Che* Regni *Guéi* Principi? *çu cum*, protinùs respondit: optimè: ego exquiram.

§. 2.

REgni *çu cho* Regi tres fuêre filii, maximus natu *Pe y*, minimus *Xo çi* dicebatur, secundi non extat nomen. Pater, qui minimum tenerrùs diligebat, eundem morti jam proximus Regni hæredem denuntiat. Sed mortuo Patre, subditi majorem natu regnare volunt: Ipsi namque deberi coronam nascendi jure & ordine. Verùm is voluntatem Patris tam juri suo, quàm votis suorum anteponens, Regnum fratri ultrò cedit. Sed & hic non minùs memor fraternæ charitatis, quàm alter filialis observantiæ; fratrem, quod primo loco genitus sit, ad suscipienda Regni gubernacula constanter urget. Certamen hoc tam raræ gratiæ cùm perquam diu tenuisset, & neuter alteri persuadere potuisset, quod utrique suo quodam jure debebatur; ut tam inusitatæ contentioni finis tandem fieret, ambo clam suis generosâ tandem fugâ ex aulâ in solitudinem se contulêre, victores ambo, victique. Secundus itaque fratrum relictum à

majore minimoque regnum, communi populi ac procerum consensu suscipit. Porrò certamen hoc fratrum, uter alteri coronam cederet, contendentium, ei certamini, quod (ut paulò supra memoravimus) tunc Patri erat cum filio, prorsùs è diametro opponebatur. Discipulus itaque *çu cum* per ambages Philosophi sententiam callidè exquirens; ingressus est ut Magistrum consuleret, duo fratres, inquit, *Pe y* & *Xo-çi* cujusmodi fuerunt homines? Philosophus quo tenderet illa percontatio, animadvertens, respondit *Pe y* & *Xo çi* omnino fuerunt è priscis spectatæ virtutis ac sapientiæ viris. Discipulus *çu cum*, instat, & ait: Sed num credibile est sibi constitisse, non eos pœnituerit deinde facti sui, fugæque? Tum *Confucius* in hoc facto, inquit, ambo quæsiverunt veram virtutem, & invenerunt veram virtutem. Numquid igitur eos pœnitudo subierit ubi error nec peccatum præcessit? Satis hoc responso declarabat *Confucius*, quid de improbo *Che* paterni principatûs invasore sentiret; quippe dum sic laudabat à virtute ac sapientiâ illos, qui invicem Regno cesserant; damnabat utique eum, cujus impia temeritas & ambitio debitam Patri, quamvis sonti, pietatem violarat. *çu cum* igitur egreditur, & condiscipulo suo *Gen yeu* ait: *Confucius* haudquaquam favet *Che* Principis factioni.

f. 5. p. 1.

Confucius aiebat vescor ferè admodùm vulgari parabilique cibo; poto lympham, & dum brevi somno reficio vires, inflecto cubitum, capitique subjicio & is mihi pro cervicali est. Hoc interim affirmo, quòd sua Philosopho voluptas etiam constat hæc inter. Habet omnino suas virtus delicias, medias inter asperitates. Quisquis autem expers virtutis est, etsi idem sit dives & opulentus, adeoque sicut ferè usu venit, honoratus; apud me certè quidem erit instar volantis nubis.

p. 2. §. 1.

Confucius septuagenarius aiebat: Cœlum si concederet mihi aliquot adhuc vitæ annos, penitus ut perdiscerem doctrinam libri *Ye kim*, id est, mutationum; possem, utique, vacare graviori saltem quâcumque noxâ & crimine.

§. 2.

Confucius (uti memorant discipuli) Quæ crebrioribus usurpabat sermonibus, erant ferè tria. Odæ, id est, Sententiæ priscorum Sapientum & Regum, metro ligatæ. Chronica, seu res ab eisdem Regibus ac Majoribus suis vel rectè vel perperam gestæ, Denique studiosè observata & exercita ab eisdem Regibus officia & ritus. Hæc tria, inquam, erant ea ferè omnia de quibus passim disserebat *Confucius*.

f. 6. p. 1. §. 1.

PRæfectus civitatis *Xe* homo arrogans, utpote qui titulum *Cum* officio suo longè superiorem temerè sibi vindicabat. Hic, inquam, quæsivit de *Confucio* à discipulo *çu lu*, quid scilicet hominis esset Magister suus? *çu lù* non respondit.

§. 2.

Confucius ubi cognovit percontationem præfecti & silentium discipuli; huic ait: Tu quin sic respondisti? ipse est vir ejusmodi, ut non alia de re magis laboret, quam ut in suscepto virtutis ac bonarum artium studio assiduè proficiat: In quo si quidpiam non usquequaque assecutus est, hoc ipso contendit exeritque vires omnes & conatus, sic prorsus, ut obliviscatur etiam cibi sumendi, quoad assequatur. Ubi autem assecutus est; tum tantis exultat lætitiis, ut jam non meminerit amplius tristitiæ molestiæque præcedentis; nec advertat senectutem inter hæc jam propè advenisse. Hæc, dico tibi respondere potueras præfecto percontanti.

p. 2. §. 1.

Confucius ait: Ego non sum natus cum sapientiâ (vel, ego non is sum, qui natus illicò sapiens extiterim) sed ab ineunte ætate mea semper amans ac studiosus fui antiquitatis; omnem semper adhibens operam ac diligentiam: Per hæc itaque comparavi illam, quæcumque demum mihi tribuitur, sapientiam.

§. 2.

Confucius (uti memorant discipuli) de quatuor rebus non nisi rarissimè, & quidem brevibùs loquebatur. De rebus scilicet exoticis, inusitatis, peregrinis, de monstris, atque prodigiis. De factionibus atque dissidiis, & perturbationibus publicis. Denique de spiritibus, quod eorum virtus, efficacitas, natura usque adeò subtilis ac sublimis sit, & ab humano sensu remota, ut de illâ debitè loqui sit periculum.

p. 2.

Confucius ait: Si vel tres duntaxat homines pariter ambulemus; haud dubiè dabitur in his meus Magister: erunt, inquam, duo ex quibus proficiam. Exempli gratiâ: Probus sit unus, & alter improbus. Mox seligam illius quidem bona, seu virtutes, & sequar imitando: Hujus verò mala, seu vitia tacitus inspiciam, meque ipse discutiam, & si quidem reum me invenero, mox corrigam.

f. 7. p. 1. §. 1.

TRansiverat *Confucius* à Regno *Guéi* in Regnum *Sum*: Ubi discipulos in umbrâ prægrandis arboris quotidie exercebat. Porrò loci præfectus *Von tui* nomine, quia *Confucium* ejusque doctrinam oderat; arborem illam succidi jussit. Perculit ea res discipulorum animos, verentium, ne de tollendo etiam è vivis ipsomet Magistro

cogitaret. At *Confucius* cognito suorum metu sic ait: Cœlum siquidem procreavit virtutem, dotesque naturæ in me, cum vita mea à cœlo tota pendeat, *Vôn tûi* itaque præfectus iste quorsum me sic exagitet? An pugnare cum cœlo tentat mortalis?

§. 2.

SUspicione quadam liberaturus discipulos *Confucius*, itane verò, inquit, ô duo tresve discipuli mei, sic de me sentitis, quod celem vos quidpiam quod ad virtutis sapientiæque studium spectat? Atque sic vobis affirmo, quod ego nullâ utor reticentiâ vel occultatione vobiscum. Ego reverà nihil egi unquam, quod non communicarim & palàm vobis discipulis meis fecerim. Talis nimirum sum ego.

p. 2. §. 1

Confucius tametsi, ut modò dictum est, nihil omnino sanæ doctrinæ celaret suos; in quatuor tamen præcipuè eosdem instituebat. In literis, id est, libris *Xi kim*, & *Xu kim*, nec non in liberalibus quibusque disciplinis ac scientiis. Deinde in usu & exercitatione eorum omnium, quæ didicerant: Tertio quartovè loco suis assiduè inculcabat ut persisterent in seriâ prorsus ac syncerâ voluntate agendi quidquid agerent, cum fide constantiâque & cum robore quodam invictæ mentis conjunctâ.

§ 2.

Confucius ait: Hominem sanctum ego adhuc quidem non potui videre: verum, ut queam videre aliquando virum virtute sapientiâque cæteris præstantem; hoc quidem adhuc fieri poterit.

§. 3.

Confucius etiam, inquit, probum usquequaque & integrum virum, ego adhuc quidem non potui videre. Verùm ut liceat mihi videre quempiam qui habeat robur & constantiam in suscepto virtutis sapientiæque studio; hoc enimvero adhuc fieri poterit.

§. 4.

Confucius, non habens, inquit, & tamen simulans se habere, vacuus & inanis doctrinæ, & virtutis, & tamen simulans harum copiam & plenitudinem: exilis ac tenuis, & tamen ostentans magnitudinem nescio quam, & excellentiam: Simulator hujusmodi tametsi fortè per exiguum tempus imponat hominibus, vehementer tamen laborabit in servanda fingendi constantiâ, sic ut non patescat aliquando fraus ac simulatio.

f. 8. p. 1. §. 1.

Confucius, uti memorabant ejus discipuli cùm fortè privatus piscationi, aucupioque daret operam, hamo duntaxat & arundine piscabatur, & non retibus. Similiter cum aucupabatur, filo sagittam

adſtringebat, quâ prætervolantium avium unam alteramve peteret; & non feriebat quieſcentes.

§. 2.

CONfucius ait: Quomodo dantur homines tam rerum ignari, & tamen tam activi & expediti? Ego quidem non habeo hoc ſaltem vitii: Multis auditis, ſeligere ex illis optima, & ſequi: Multa item videre, & omnium meminiſſe, ut ex omnibus proficerem: hæc ſciendi ſecunda claſſis eſt, cui me applico ſcilicet.

§. 3.

LOcus *Hu hiam* difficilis erat ad ſermones de virtute ſuſcipiendos; ob incolarum pravitatem aut tarditatem. Adfuit quodam die puer inde oriundus, iſque palam ſe ſtitit obtulitque *Confucio*, hic rogantem benignus admiſit. Videntes hoc diſcipuli, ſuboffenſi ſunt.

p. 2. §. 1.

CONfucius id reſciens, ſic ait: Admiſi nunc ipſum ut intraret in diſciplinam meam: non autem admiſi ipſum, ut illico repellam. Quorſum igitur hæc vehementia, & offenſio veſtra? Quotieſcumque homo quiſpiam renovavit ſeſe, ut in ſcholam ac diſciplinam meam admittatur; admittam ſanè hanc ipſius renovationem, novæque vitæ propoſitum. Non autem ſponſor ſum, & fideijuſſor pro ipſius vitâ futurâ an ſit perſeveraturus.

§. 2.

CONfucius ait: Virtuſne fortaſſis abeſt longè à nobis. Ego certè ſi expeto virtutem, hæc ipſa virtus ad me acceſſit. Foris quærenda non eſt, quæ nobiſcum naſcitur.

§. 3.

REGNI *Chin* Mandarinus *Su pai* (muneris publici nomen eſt) quæſivit ex *Confucio*, an *Chao cum* Princeps Regni *Lu* calleret ritus ac leges? *Confucius* reſpondit eum callere ritus.

f. 9. p. 1. §. 1.

CONfucio abeunte, ſalutans ipſe diſcipulum *Confucii* fortè ſibi obvium *Vû ma ki* dictum, & accedens ad eum ait: Ego quidem ſemper audivi virum perfectum non aſſentari: an igitur, Philoſophus quandoque etiam aſſentatur? Nonne conſtat Principes ambos regnorum *U* & *Lu* ejuſdem eſſe cognomenti *Ki* ſcilicet; & tamen Rex Regni veſtri *Lu* uxorem duxit ex *U* familia item Regiâ, quæ eſt ejuſdem cum ſuâ cognomenti, quod Legibus Regni vetitum eſt: Imò quo felicius res lateret, appellavit nuptam ſuam non *U mem ki* vero proprioque cognomine; ſed *U mem çu* ficto cognomine. Profecto ſi Rex ille, dum ſic illudit ritibus; nihilominus peritus eſt rituum: ecquis, obſecro, mortalium non ſit peritus rituum ac legum licet eaſdem violet ac contemnat?

§ 2.

Vu ma ki discipulus confestim de his certiorem fecit Magistrum. *Confucius* ergo, ô, inquit, me fortunatum! Si enim quid pecco, alii certo certius id resciunt: A quibus moneri queam ut me emendem.

p. 2 §. 1.

Confucius (uti memorant discipuli) unà cum aliis canens, si quidem bellè cani animadverteret, omnino jubebat repeti symphoniam: quâ pascebatur. Mox inde vicem reddens & gratiam, cum reliquis vocem jungens ipse modulabatur.

§. 2.

Confucius ait: Ornatu copiâque vel dicendi vel scribendi nonne ego propè accedo ad alios? Sed ut ipsemet constanter agam virum virtute sapientiâque præstantem; hoc opus hic labor est. Certè ego nondum id sum consecutus.

§. 3.

Confucius ait: Quod attinet ad sanctitatem cum solidâ illa synceri animi perfectione, quibus præditum me vulgo autumant; equidem ego qui ausim mihi arrogare? An fortasse, id unum significant, in exercitio & conatu, quo ad perfectionem contendo, non me languescere; in docendo & instituendo alios non defatigari? Tunc quidem poterunt dici significare quidpiam: Hoc enim solum & non amplius me posse fateor. Discipulus *Cùm si hoâ* hæc dicentem Magistrum audiens, & ingemiscens ait: Sanctus & perfectus dici non sustines, sapientissime Magister; idem tamen fateris animum tibi esse in studio virtutis excolendæ alacrem & constantem, in aliorum institutione prorsus indefessum: Enimverò hoc ipsum est quod ego discipulus tuus necdum queo addiscere; & te imitari, quamvis maximè velim.

f. 10. p. 1.

Confucio quondam ægrotante cùm de salute Magistri angerentur; unus illorum *çu lu*, adiens ægrotum rogavit potestatem sibi fieri deprecandi spiritus pro ejusdem incolumitate. Mos enim jam tunc erat, ubi morbus, aliave calamitas quempiam premeret, instituendi deprecationes. *Confucius* sciscitabundus, daturne, inquit, ejusmodi usus deprecandi morbos & calamitates? *çu-lu* discipulus respondit: datur utique: antiquissimus enim liber *Lui* dictus sic ait: Deprecamur vos superiores, id est, cœli, & inferiores, id est, terræ spiritus. *Confucius* ad hæc respondit: quod ego ritè venerer ac deprecer spiritus jam diu est. *Cham* colaus & Interpres noster ægrotantis Philosophi mentem sic exponit: Quod liber ille vocat deprecari, nihil est aliud, quam, si quid fortè peccatum fuerit, reum se agere coram spiritibus, & facti pœnitentem liberari pœna & calamitate

mitate promeritâ; deinde verò quæ fausta sunt prosperaque ab iisdem flagitare. Ad me quod attinet; adhuc quidem non ausus fui verbo factove quod sciam offendere spiritus; sed hoc egi, per omnem vitam, in hoc elaboravi, ut rationi parerem in omnibus: contra quam si quid peccatum à me est aliquando; protinus id scilicet expiavi ac emendavi. Unde profecto quod ego deprecer spiritus jam diu est.

p. 2. §. 1.

Confucius ait: Prodigus est quispiam luxuique deditus? Ergo nec submissus. Æquo parcior est quispiam? Sordidus? avarus? Ergò vilis idem & abjectus; attamen præ eo quod est non esse submissum, sed opibus ac potentiâ efferre sese, præstat, minùs, inquam, perniciosum fuerit, esse sordidum ac vilem: hujusmodi namque sibi fere uni damno est, ille toti Reipublicæ damno esse potest.

§. 2.

Confucius ait: Vir probus nunquam non æquanimis, tranquillus, ac placidus est. Improbus verò, nunquam non turbato & amaro est animo.

§. 3.

Confucius, (ut testantur ejusdem discipuli) Blandus erat, comis, affabilis; & tamen idem venerandus & compositus: Gravis erat ac severus ubi res postulabat; idem tamen haudquaquam morosus, asper, truculentus. Officiosus, observans aliorum & reverens; sic tamen ut perquam temperatè, suaviter, ac citrà molestiam & fastidium.

f. 11. p. 1.

Confucius ait: Principis *Tai vam* filius *Tai pe*, equidem potest dici summæ fuisse virtutis, & cui nihil addi queat. Imperium iterum iterumque, cum fratre & generosè cessit: verùm tantæ laudis ignara multitudo non valuit heroas suos pro merito deprædicare.

Tai pe & Yu chum *filii erant majores natu* Tai vam *ii cum scirent minorem natu fratrem* Ki lie *à patre amari impensius, eique Regnum destinari, in utriusque gratiam spontanei exules australium Barbarorum ditiones petunt, qui ut celent genus suum tonsâ Cesarie necnon maculis servilibusque notis corpus deformant. Ab hoc fundatum* Nankim *Regnum in urbe* Sucheu *annis ante Christum circiter 1160. ubi etiamnum hujus sepulchrum extat.*

p. 2. §. 1.

Confucius ait: Comis & officiosus est quispiam; at sine debito modo ac mensurâ; utique fatigabit se gratis, nec raro cum molestia fastidioque aliorum. In negotiis tractandis consideratus est ac sollicitus; at sine debita moderatione; utique erit perplexus, & qui

ad singula quæque hæreat ac trepidet. Fortis quis est, ac strenuus; at sine prudentiæ fræno ac moderatione, sic ut res quasvis temerè aggrediatur; is utique perturbator erit rei domesticæ & publicæ. Denique rectus est quis, ac justus; at sine modo & discretione, nihil valens dissimulare; talis utique sæpe angetur animo seque ipsum irretiet periculis ac molestiis.

§. 2.

SI quidem is qui Magistratu fungitur, solidè constanterque se gerat erga suos parentes; tum procul dubio subditi hoc exemplo certatim quoque efflorescent in virtute. Idem si antiquior ætate, vel meritis, haud negligat abjiciatve; tum subditi non minus facient, & cives suos vel annis, graves, vel meritis colent, ac fovebunt.

§. 12. p. 1. §. 1.

CEM-çu, inter discipulos *Confucii* secundus, & pietatis erga parentes longè studiosissimus, graviter ægrotans, & morti jam proximus, convocatis scholæ seu disciplinæ suæ discipulis; agite, inquit, retegite meos pedes, retegite meas manus, quæ à parentibus acceperam, sana, quoad potui, integraque conservavi, quo promptiùs ea diutiusque in eorumdem obsequium impenderem. Id me docuit Odarum liber, dum ait: Esto timens ac pavidus, sollicitus & cautus, ad instar appropinquantis profundo rapidoque fluminis alveo: vel ad instar calcantis tenuem glaciem, ne quidpiam committas, quod parentes contristet, vel offendat; sed enim vivendi finis, uti sentio, jam adest; atque adeo jam nunc imposterum ego sic intelligo supersederi à me posse curis ejusmodi. His dictis, suos iterum inclamavit, condiscipuli mei, inquiens; postremâ scilicet hâc compellatione eosdem ad sui imitationem cohortans.

Ex hoc pietatis & obedientiæ specioso ne dicam inepto aut superstitioso titulo, multi, Tartaro imperante, maluerunt aquis aut laqueo suffocari quam capillitium amittere, imò optabilius honoratiusque semper hic visum laqueo vitam finire quàm capite minui. Intolerandum quippe Sinensibus videtur ad Patres suos & Majores, ut aiunt, remeare absque capite, & hoc spectaculo & opprobrio manes patrios affligere, seseque reos sistere tam nefandi criminis, cujus causâ corpus, quod à parentibus integrum acceperunt, Acephalorum instar mutilum & truncatum iis spectandum offerre cogantur.

§. 2.

CEM-çu sic ægrotantem Regni *Lu* Præfectus *Mem-kim-çù* dictus à visendi gratiâ adivit, & percontatus est de valetudine.

p. 2. §. 1.

CEM-çu Præfectum alloquens ait: Aves dum jam morituræ sunt, ipsarum vox lugubris & gemebunda est. Homines verò dum jam proximè sunt morituri ipsorum sermo tunc vel maximè bonus est & fidelis.

§. 2.

PHilosophus, inquit, quæ majoris facit in veræ Philosophiæ disciplinâ, tria sunt. Primum est, motus, figura, habitusque corporis; & hac ratione longè removens quidquid agreste vel dissolutum est. Secundum, vera & non simulata oris species: Sic enim accedit proximè ad fidem & veritatem. Tertium profluens à prudenti ore sermonis gratia: hæc enim longè removebit, quod minus decorum sit, vel rationi dissentaneum. Ad viminea verò ligneaque vasa sacrificiorum & oblationum usibus destinata quod attinet; utique dantur alii, qui pro officio suo procurent ac servent.

f. 13. p. 1. §. 1.

CEM-çu commemorans condiscipuli Yen hoei pridem defuncti virtutem sic, inquit, qui prudentiâ & consilio pollens; adeoque & consilium petat etiam ab imperito, qui florens ingenio peritiâque rerum abundans, sciscitetur discendi gratiâ ab hebetiore ac tenuiore, qui habeat eximias dotes quasi nihil haberet. Qui plenus sit, & tamen instar vacui, propter animi demissionem, quâ de se modestissimè; de aliis præclarè sentit. Qui offensus ab alio & lacessitus, tamen non succenseat. Unus erat è millibus, unus olim meus sodalis Yen hoei in ejusmodi virtutum studio semper elaborans seseque exercens.

§. 2.

IDEM çem-çu aiebat: Is cui poterit committi sex palmorum, id est, admodùm adolescens, quindennis scilicet, stirpis Regiæ pupillus: Cui poterit item committi centum stadiorum Sinicorum dynastia: Ingruente autem repentinâ quâpiam calamitate, & magno rerum discrimine; tamen haud valens eripi sibi; & deici animo, sic ut admittat quidpiam à dignitate suâ, constantiâque alienum: hujusmodi qui fuerit, an non censendus erit prorsus eximius vir? utique prorsus eximius vir censendus erit.

p. 2. §. 1.

IDEM çem-çu aiebat: Homines litterati non debent, non esse amplo magnoque animo, forti item & constanti. Onus quippe, seu munus, quod ipsorum humeris impendet, admodùm grave est, & iter quod decurrendum habent, longinquum.

§. 2.

VERA syncera que virtus proprium est ipsorum onus; nonne reverà grave? Rursus cum mors supervenit, tum demùm cessat labor & tanti oneris sustinendi necessitas: Nonne ergo longum est, nonne diuturnum, quod spatium adæquat vitæ totius?

§. 3.

Confucius ait: Jacentes ac repentes humi erigimur quodammodò per Odarum librum.

f. 14 p. 1. §. 1.

ERECTI porrò consistimus & verò persistimus, in omni vitâ decorum constantiamque servantes, per Officiorum libros.

§. 2.

AD extremum perficimur per musicam, illam scilicet, quæ ipsas voluntates nostras doctrinâ suâ harmonicâ demulcet.

p. 2. §. 1.

Confucius ait: Populo quidem potest, & verò debet præcipi legum executio: At non potest, æquè præcipi scientiæ studium.

§. 2.

Confucius ait: Si quis fidens animi, & gaudens lacertis ac robore, idem quoque sit exosam habens paupertatem, quâ fortè premitur; facilè perturbator erit publicæ tranquillitatis. Similiter homo improbus quamvis reverà odio sit dignus, exosus tamen vehementiùs & exagitatus, perturbator erit. His potentiâ clementiaque mederi potius quam severitate exasperare malebat *Confucius*.

§. 3.

Confucius ait: Etiamsi quis habeat *Cheu-cum* summi viri dotes, omnemque facultatum ejus excellentiam: dato tamen casu quod efferat sese fastu, superbiâque, & quod inde consequens est invidus sit alienæ laudis & gloriæ: In hujusmodi homine quicquid est reliquum, quamvis reverâ sit maximum, tamen non est dignum ad quod vel oculos convertamus.

f. 15. p. 1. §. 1.

Confucius ait: Diu & constanter virtuti sapientiæque dantem operam, non defixa mente in censu, haudquaquam facile est invenire. Quod si inveniatur, eos Rex accersat nec dimittat (addit Colaus) negociatores verò sic repudiet ut nunquam accersat.

§. 2.

Confucius ait: Philosophus, qui firmâ fide credit, quam fortè doctus est, veritatem, nec parcit labori & studio, is in quâdam vitæ perpetuitate constabit sibimetipsi usque ad mortem, semperque illi optimè conveniet cum virtute & recto rationis dictamine.

§ 3.

§. 3.

ITaque Philosophus ejusmodi periclitans Regnum haudquaquam intrat: In turbato quoque Regno haud unquam degit. Si quando in Imperio est virtus legumque observantia; tum ipse palàm se facit: Si verò in Imperio deest virtus; tum latet, privatus quidem, sed tutus.

p. 2. §. 1.

E Contrariò, quando Regnum habet virtutem, quando vigent leges; Tunc autem privatæ vitæ otio marcescere, & velle vivere pauperem & adhuc negligi, pudendum est. Jam verò quando regno deest virtus, & jacent legens: Tunc eum, qui dici vult Philosophus, servire tempori, & velle augeri opibus ac honoribus; indignum quid est, maximeque probrosum ac pudendum.

§. 2.

COnfucius ait: Non constitutus in hoc vel illo munere; non consultes agasve de illius administratione.

§. 3.

COnfucius ait: In Regno *Lu* patrio Magni Magistri *Chi* musicæ exordium, & *Quan-çiu* finalis stropha plenissimo vocum & instrumentorum concentu resonans, ô quam suaviter & jucundè implebat mulcebatque aures.

f. 16. p. 1. §. 1.

COnfucius ait: Callidus amator & gloriæ & suimet; adeoque non rectus: Item qui naturâ sit hebetior idem tamen inconsideratus ac præceps: Denique qui rudis & ad tractanda negotia ineptus sit, idem tamen non verax ac syncerus; qui, inquam, tales sunt; ego reverà nescio quid tandem hominis sint, vel quo pacto mederi quis eis queat.

§. 2.

COnfucius ait: Sic disce, semper quasi nondum perveneris. Imò etiam si quid didiceris, time ne amittas.

§. 3.

COnfucius ait: O magnitudinem! ô sublimitatem virtutis ac sapientiæ *Xún* & *Yù*! Ambo sapientissimi cum admodum contenti viverent sorte suâ, quamvis reverà humili, quæque illustrissimæ ipsorum stirpi minimè responderet: Utrumque sua virtus ad Imperium evexit. Ambo itaque tenebant amplissimum hoc Sinarum Imperium; at non vicissim tenebantur: sic ferè (ut Colaus exponit) quasi Imperium nihil interesset ipsorum. Parvi scilicet ducebant omnia præ unâ mentis suæ nobilitate & præstantiâ. Quam quidem mentem norant à cœlo procreatam esse ad virtutis & sapientiæ possessionem eamque minimè incertam nec in casu vel in temeritate positam.

p. 2. §. 1.

Confucius ait : O quantus olim erat *Yao* agens Imperatorem! Magnarum ac sublimium rerum solum cælum est maximum. At enim quamvis illud mole ac sublimitate sit maximum; solus tamen *Yao*, adæquavit illud virtutis suæ magnitudine ac sublimitate. Quæ quidem ejus virtus, quia erat tam ampla, tamque arcana, ut omnem vulgi sensum captumque fugeret; hinc eam populus nunquam potuit pro dignitate celebrare.

§. 2.

O Magnitudinem hujus Principis! ô sublimitatem! Ipse nimirum is fuit, qui habuit perfecta consummataque merita. O quàm splendida quàmque illustria ipse habuit ornamenta legum, rituum, officiorum, musices ac litterarum.

Certè quàm charus eam ob causam populo esset, ut alia præteream, argumento sit, quod obeunti ditiones suas ac de more lustranti, obviam quandoque effusa subditorum multitudo certatim fausta omnia acclamaret, cœlumque deprecaretur, ut optimo parenti suo ac Principi multas opes, filios, vitæque annos concederet. Quod tamen populi votum pro suâ ipse modestiâ admittere recusans, multæ opes, inquit, pariunt multas curas; multi filii multos timores; multi vitæ anni multas sæpè miserias, multa probra.

§. 3.

Discipuli memores certè sententiæ infra referendæ f. 17. p. 1 §. 1 quâ Philosophus deplorat quodammodo paucitatem virorum eximiis naturæ dotibus instructorum, *Xún*, inquiunt, habebat Præfectos quinque magni nominis, & virtutis viros: Quorum primus *Yu* eluvionibus aquarum purgavit Imperium. Secundus *çie* derivatis jam eluvionibus primus Agriculturam restituit. Tertius *Sie* quinque institutiones (de quibus infra in libro *Mem çu* parte 3. f. 12. fiet mentio) conservandæ & augendæ Reipublicæ necessarias condidit. Quartus *Cao yao* de criminibus mirâ cum æquitate cognoscebat. Quintus demùm *Pe ye* montium torrentes aquas, & exundationes, mirâ cum industriâ & rei agrariæ commodo simul & incremento dispertiebatur. Per *Xun* itaque horum 5. virorum consilio operâ & industriâ Imperium tam præclarè tamque feliciter administratum fuit.

§. 4.

Conditor *Cheu* familiæ *Vu vam* gratulabundus sibi identidem dicebat: Ego habeo regiminis mei adjutores subditos decem homines. Hos inter primus erat *Cheu cum tan*. Secundus *Chao cum xe* *De hoc memorant Annales ea felicitate & industriâ Boreales regiones sibi commissas administrasse, ut sementis ac messis tempore è vinculis dimitteret reos omnes; & hi constituto revertendi tempore suâ sponte (cum ta-*

men non deessent rei capitis) ad carcerem redirent. Tertius *Tai cum vam.* Quartus *Pie cum.* Quintus *Tûm cum.* Sextus *Tai tien.* Septimus *Hûm yao.* Octavus *San y sem.* Nonus *Nân cum quo.* Intus verò *Te kiam* Regina uxor (cui adeò viros inter decimum locum tribuerunt) familiam Regiam, resque Palatii admirabili cum virtute ac prudentia regebat.

f. 17. p. 1. §. 1.

Confucius ingemiscens ait : Quod veteri proverbio dicitur, magnæ dotes difficiles ac raræ sunt; nonne hoc verum est? Sola ferè quæ olim dicta fuit *Tam* & *Tu*, alias *Tao* & *Xun* pulcherrima in Imperio societas & successio unà cum hoc nostro familiæ *Cheu* Imperio jure censeri potest floruisse præclaris administris : Et hoc Imperium nostrum geminata felicitate omnino decem numeravit. Et inter decem datur una mulier, Regina scilicet *Te kiam* Imperatoris *Vu-vam* uxor : adeoque novem duntaxat viri numerandi sunt & non ampliùs. Verissimum est itaque vetus illud effatum, magnas dotes difficiles ac raras esse.

§. 2.

TRansit Philosophus ad laudem Principis *Ven-vam* cui filius erat *Vu-vam*, ipse, inquit, de tribus partibus Imperii cum haberet jam illarum duas ; (quatenùs scilicet obtinebat omnium studia ac voluntates) Tamen ne sic quidem ab officio optimi clientis avocari potuit; sed fidem Imperio potiorem habens, invictâ cum patientiâ paruit ac servivit familiæ (quamvis jam tyrannicæ) *Tu:* propterea familiæ *Cheu* virtus ipsa potest reverà dici summa virtus, & cui nihil addi possit.

p. 2.

Confucius ait : Quod attinet ad *Tu* Imperatorem, ego non habeo nec invenio, quod arguam. Parcus erat ac mirè temperans potûs & cibi : Idem tamen maximè liberalis, magnificus, ac mundus erga spiritus. Admodùm vulgaris passim erat ei vestitus : Ejusdem tamen summus quidam ornatus ac splendor erat in veste sacerdotali & tiarâ, quotiescunque sacris operabatur. Humile erat minimèque sumptuosum Palatium : Idem tamen exerebat & exhauriebat omnes animi, & ærarii facultates in aquarum in mare derivandarum ductus & earumdem receptacula pro siccitatis tempore. In *Tu* ergo non habeo ego nec invenio quod arguam.

Hunc quoque ex ea sortis humilitate, quam diximus, ad avitam primæ stirpis suæ dignitatem, virtus sapientiaque revocavit : Ob hujus quippe, meritorumque magnitudinem charus adeò fuit, tantoque in pretio Xun *Imperatori; ut postquam eum per 17. postremos annos in Imperii Collegam adscivisset, tandem legitimo filio suo, cui* Xam *nomen, constanter rejecto (imitatus scilicet* Yao *sui decessoris exemplum) non dubitaverit eundem*

jam nonagenarium Imperii hæredem designare. Verum Yu, *generosâ sese fugâ proripiens, in latebras sese abdidit. Sed à dynastis tandem detectus, in solium quamvis invitus evectus est. Eminuit in eo, admirabilis quædam facilitas, affabilitasque adversùs omnes. Æs campanum jussit erigi in ipso Palatii sui atrio: ad cujus primum pulsum suos auditurus alacer provolabat. Itaque accidit aliquando, ut prandii unius tempore decies à mensâ surgeret: E balneo item, ubi corpus lavabat, semel, iterumque ac tertio procurrerit; & quidem soluto & impexo etiamnum capillo; ut scilicet ad primum æris campani signum, suorum vel postulata vel querelas audiret. Inter alias, quas plurimas condidit, leges, una fuit, quâ vinò omnibus severè interdicebatur, misso in exilium vini inventore. Solitus erat dicere:* Vinum aliquando pessumdabit res Imperii, nostramque familiam: *& ita reverà accidit, ut alibi memorabitur. Imperavit solus annis decem, eo successu rerum, & copiâ, & tranquillitate, ut merito vocari aurea possint ejusdem tempora: & si quidem fas est Sinis hoc loco credere, aurum reverà pluisse dicitur per triduum eo imperante. Iter faciens aliquando, cùm fortè obvium habuisset hominem catenis vinctum; protinùs de curru suo desiliens, ubi cognovit esse reum capitis, & ad supplicium jam rapi; illachrymatus est; suisque demirantibus,* superioris, *inquit,* ætatis homines ad exempla Regum *Yao* vitam suam moresque componebant: at nunc dum ego modicæ virtutis homo Sinicam rem administro; non pauci meorum, ut video, pro suo quisque arbitratu, studiisque non optimis vitam instituunt. *Vixit* Yu *annis centum ab omni privato affectu tam alienus, ut moriens cælo proposuerit Imperii successorem virum spectatæ virtutis* Ye *appellatum, neglecto filio* Ki; *quem tamen & dynastæ & populus hæredem esse voluerunt paterni Imperii, uti erat virtutum paternarum, & exinde electio Imperatorum in hæreditariam filiorum ac nepotum successionem transiit. Et hæc quidem, quæ hic & alibi annotamus, referuntur à Regiis illorum temporum scriptoribus & authenticis annalibus necnon à Philosophis* Confucio *&* Mencio *sæpiùs confirmantur. Obiit verò præfatus* Yu *cycli noni anno 20.* Quéi vi *dicto, qui respondet anno ante Christum 2208.*

LIBRI TERTII
PARS QUINTA.

Fol. 1. pag. 1. paragr. 1.

NARRARE consueverant discipuli, quod *Confucius* magister suus admodùm rarò, nec nisi difficulter loquebatur de lucris & emolumentis, & de fato, seu, decretis cœlestibus; & de *Gîn*, id est, de cœlitus inditâ innocentiâ ac puritate cum præsidiò ornamentoque virtutum omnium conjunctâ.

§. 2.

TA hiàm pagi sic dicti incolæ fortè cum de *Confucio* sermo esset dicebant: O quantus vir est *Confucius!* Amplissima est ejus in omni genere peritia & doctrina; atque adeò non datur ex quo magis prædicetur ipsius laus ac fama, cum in eo summa sint omnia.

§. 3.

Confucius fortè hæc audiens, & alloquens discipulos ait: Optare puto rusticos illos ut me impensiùs addicam arti cuipiam. Ego igitur quid arripiam potissimum? Inter sex artes nostrates liberales duæ sunt ad ingenium rusticorum magis accommodatæ, aurigandi scilicet & jaculandi. Arripiamne igitur aurigandi artem, an arripiam artem jaculandi? Benè habet; ego rursum arripiam excolamque artem aurigandi, quæ & est facilior, & vel ideò, quia humilis, mihi chara.

p. 2. §. 1.

Confucius aiebat: Ex subtiliori cannabe contectus pileus olim erat officiosi ritûs ususque proprius: Nunc verò ætate nostrâ sericus est in usu, isque minus sumptuosus, & minus operosus. Ego, licet hic à Priscorum usu discedatur; quoniam tamen haud peccatur; sequor multitudinem, & hâc in re servio tempori.

§. 2.

SAlutare Principem, idque eminus & ex atrio inferiori, mos ac ritus erat Priscorum. Nunc verò salutare Principem superius in ipsa aula, reverà nimium quid est, & quasi arrogans. Quocirca licet hîc adversor multitudini; ego tamen sequor priscum ex inferiori atrio salutandi ritum.

§. 3.

Confucius (si discipulis fas est credere) penitùs non habebat quatuor. Quoad res futuras non habebat proprium quoddam propensæ mentis studium seu intentionem. Item non habebat obfirmatæ mentis propositum ac determinationem, neque habebat, pertinaciam in re semel susceptâ, modoque gerendæ rei mordicùs tuendo: Nec habebat denique seipsum suasque commoditates præ oculis.

f. 2. p. 1. §. 1.

Confucius fortè periclitans cum curâ & vigilantiâ versabatur in *Quam* loco. Periculi causam præbuit oris similitudo cum altero ejusdem loci quondam præfecto, cui *Hiam hù* nomen, quem loci incolæ, quos olim divexaverat, injuriarum memores ad necem quærebant, diversorio Philosophi per quinque dies armis obsesso.

§. 2.

PErculsos itaque tam inopino periculo discipulos confirmaturus *Confucius*, inquit. Sexcenti ferè sunt anni quod *Ven-vam* sapiens ille Rex jam interiit: Sed an propterea præclara lex illa, & quasi legis lux, quæ refulsit ipsius operâ, pariter extincta est, & non existit hic inter nos etiam nunc.

§. 3.

CÆLUM itaque si extincturum erat, hanc legis lucem, post Regem illum uti natus ita etiam moriturus ego non valuissem conferre operam, in hac lege quadamtenùs promulgandâ. Cœlum verò si necdum extinctam voluit hujus legis promulgationem; profectò vitæ nostræ, etiam volet consultum. *Quam* igitur loci incolæ quid ipsi tandem mihi facient.

§. 4.

UNUS è Præfectis *Tai çai* (Magistratûs nomen est) percunctatus est à *Confucii* discipulo *çu cum* dicens: *Confucius* Magister vester *Num* vir sanctus est is? nisi enim talis esset, quomodo tam multa calleret.

p. 2. §. 1.

Cu-cum respondit: Quod ad Magistrum nostrum attinet, reverâ cœlum prodiga cum liberalitate perfecit ut sanctus esset. Sed & idem insuper multâ valet peritiâ scientiarum.

§. 2.

Confucius hæc audiens ait: *Tai çai* Præfectus ille num probe novit me? Ego (ut de me loquar) adolescens cùm essem, conditione fui satis humili; idcirco Magistra paupertate doctus multa nunc calleo; sed humilia vulgariaque (aucupari scilicet, piscari, aurigari, jaculari, &c.) Sed enim an ratio viri probi ac sapientis, ne dicam sancti, in multis illis consistit? profectò non in multis consistit illa.

§. 3.

AD confirmandum hoc *Confucii* dictum, refertur à discipulis, quod *Lao* condiscipulus eorumdem, crebro narrabat quod ipsemet *Confucius* dicebat: Ego primis ætatis meæ temporibus non admotus fui gerendæ Reipublicæ; idcirco didici perdidicique artes liberales.

§. 4.

Confucius molestè ferens vulgò se haberi rerum omnium peritissimum aiebat: Egone ut tantam habeam scientiam? Imò verò eam non habeo. Fateor quidem quod ubi datur vulgaris humilisque homuncio, qui percontetur ex me quidpiam, quamvis idem rudis ineptique sit instar; mox ego tractanda suscipio ipsa rei, de quâ me consulit, duo quasi capita, atque hæc differendo exhaurio.

§. 3. p. 1.

Confucius calamitatem deplorans suorum temporum desperansque emendationem dicebat: Aquila (aut solis avis) jam ampliùs non advenit. E flumine non prodit mappa (seu monstrum variè depictum) quæ duo erant redituræ felicitatis prænuntia. De me meaque doctrinâ actum est, proh dolor!

p. 2. §. 1.

RECTE notat Colaus perturbatum hic esse ordinem litterarum, qui adeò talis esse deberet, qualem versio hac sua indicat. Confucius cernens homines lugubri veste indutos ob mortem parentum; alios item pileo habituque Mandarinico insignes, quamvis iidem essent minoris ætatis, aut etiam capti oculis; tamen ipse conspicatus illos procul dubio assurgebat honoris gratiâ: & eosdem fortè præteriens, procul dubio accelerabat gradum. (*Officioso more Sinarum quasi properè cedentium locum alteri honoris gratia*) vix ullâ scilicet habitâ ratione vel ætatis suæ, vel authoritatis, at certè maximâ tum pietatis tum dignitatis alienæ.

§. 2.

YEN-yuen altum suspirans aiebat: Est omnino sublime quid, idemque profundissimum doctrina Magistri nostri. Suspicienti illam mihi, & jam gradum ad illam facienti, semper magis magisque alta apparet. Rursus penetranti mihi ad illam illius firmitatem,

ſemper illa magis ac magis firma ac impenetrabilis deprehenditur. Contemplor illam quandoque velut poſitam ante ipſos oculos, & velut in ejus amplexum feror, quando ecce derepentè exiſtit mihi à tergo ex ipſis quaſi manibus elapſa.

§. 3.

ET tamen hanc ipſam doctrinam impertiens hominibus Magiſter noſter ſuo quodam ordine pedetentim blandeque noverat allicere homines atque inducere quo volebat: dilatabat animum meum præſidiis Philoſophiæ ſuæ, & reſtringens ad unum omnia, contrahebat me ad unam cælitus inditæ rationis moderationem ac regulam.

f. 4. p. 1.

EGO verò cum vellem ſiſtere & frui jam partis, omnino non poteram: Ubi ergo jam exhauſeram quodammodo meas animi vires, ſic prorſus erat ac ſi daretur quidpiam quod conſiſteret erectum ante oculos meos. Cæterum quamvis ardenter optarem aſſequi & amplecti illam, adhuc tamen non habebam viam ac modum quo votorum compos fierem; adeoque hærebam attonitus ad doctrinæ hujus virtutiſque celſitudinem & profunditatem.

p. 2. §. 1

Confucius ægrotabat, nec ſine periculo: Quo intellecto diſcipulus *çu lu* gratificaturus Magiſtro ſubmiſit juſſitque aliquot diſcipulos aſſiſtere ægrotanti, & eſſe veluti honorarios quoſdam adminiſtros, & funus etiam, ſi opus foret, cum ſplendore & apparatu procurare.

§. 2.

VERUM ubi morbus nonnihil remiſit; *Confucius* re cognitâ haudquaquam probans ſtudium hujuſmodi gratificandi; ah! inquit, à quanto jam tempore diſcipulus iſte *Yeû* res agit nec rectè nec ſincerè! Nuper quidem mos & ratio permittebat mihi frequentiam iſtam miniſtrorum & ſplendorem domeſticum: at nunc quando defunctus ſum magiſtratu, adeoque nullos, uti par eſt, habeo Miniſtros publicos; ſi tamen ambitioſè me gerens videar habere Miniſtros iſtos, ego quem tandem fallam? certè ut fallam oculos mortalium, an fallam etiam ipſummet cœlum?

§. 3.

ET verò, mihi præ iſtâ morte obeundâ inter miniſtrorum iſtorum obſequia & manus, nonne fuiſſet multò gratius dulciuſque emori inter duorum triumve diſcipulorum manus? Certè ego licet tunc haud potuiſſem magnifico illo proprioque præfectorum funere efferri; an ego propterea moriens inter vos, fuiſſem mortuus in viâ publicâ, ibique jacuiſſem inhumatus?

Tres paragraphos ſuperiores concludit Interpres his verbis: Xím gîn yû çié

yû çié pím guêi pé chi cum, lh sú tien chi chîm, xeù lì chi chím, yé hâo pú keù jû çù çu sò y guêi ván xí fa yè; *hoc est: vir sanctus constitutus in præsenti discrimine gravis morbi, in syncerâ illâ voluntate obsequendi cœlo, & rectitudine servandi quod ratio dictat, ne pilo quidem capitis temerè, sicut hîc patet, procedit.*

f. 5. p. 1.

CU *cum* hortaturus Magistrum suum ut talenta sua ad publicum bonum exerat. Si habeat, inquit, quispiam pulchram rarique pretii gemmam hoc tempore & statu rerum tam perturbato; eamne asservabit in arcâ & sic abscondet; an contrà exquiret cui æquo pretio divendat? *Confucius* haud ignarus quid isto simili significaretur, respondet: Vendatur sanè, per me licet, ô! vendatur sanè, at enim ego expecto æquum illius æstimatorem & licitatorem: Nec è re nostrâ est emptorem quærere.

p. 2. §. 1.

Confucius pertæsus temporum suorum desiderabat relictâ patriâ migrare ac degere inter novem gentes Barbarorum.

§. 2.

FOrte fuit qui dissuasurus diceret: Viles abjectique sunt homines isti. Quomodo hoc fiet? quî ibi deges? *Confucius* respondit: Syncerus virtutis ac sapientiæ sectator ubi degit; quomodo vile quid abjectumque ibi detur?

§. 3.

Confucius aiebat: Ego ex Regno *Guéi* cùm rediissem in patrium Regnum *Lu*, tum deinde musica operâ meâ pristino ordini ac puritati restituta fuit. Poëmata quoque *Yà* & *çum* singula obtinuerunt demùm suum statum, harmoniam scilicet, ac majestatem pristinam.

§. 4.

Confucius aiebat: Foris versantem & in Republicâ tum servire, uti par est, Principi, & cæteris Magistratibus: domi verò degentem, tum servire parentibus fratribusque debitâ cum observantiâ: In luctu funebribusque officiis non audere non exerere vires omnes: Inter epulas denique non agere quidpiam per immoderatum vini usum, quod grave sit ac periculosum. Hæc quatuor tametsi prima fronte facilia, reverà tamen difficilia sunt; atque adeò quomodo sint in me?

§. 5.

Confucius fortè consistens ad ripam fluminis, & perennem illius fluxum contemplatus innuensque in viâ virtutum non esse sistendum aiebat ut eunt & fluunt hoc modo aquæ istæ, nec sistunt cursum suum diu noctuque!

f. 6. p. 1. §. 1.

Confucius aiebat : Ego adhuc quidem non vidi qui sic gauderet virtute, sicuti gaudet quis formosi oris corporisque elegantiâ & venustate.

§. 2.

Confucius aiebat : Exempli gratia : Molior ego ex aggestâ continenter humo collem : priusquam perficiatur is, uno, qui ad operis integritatem etiamnum desideratur corbe, cæptum opus intermittitur; planè ego sum is qui intermitto, mea unius, hæc culpa est. Contraria planè constantiæ ratio est : Ipsa quantumvis lentè, perficit tamen res quantumvis magnas ; quia cœptum opus nescit intermittere. Exempli gratia : ego planæ telluri licet aggeram quotidie unum duntaxat corbem humo onustum : Tamen si assiduè progrediar aggerendo, mei progressus erunt, mea perfecti tandem collis erit gloria.

p. 2 §. 1.

Confucius aiebat : Dicente me, seu, docente quidpiam, qui non esset iners ac segnis, sed actutùm factis conaretur explere, quod faciendum esse ex me didicerat, enim verò fuit is discipulus meus *Hoéi*.

§. 2.

Confucius loquens de eodem *Yên-yven*, præmaturè defuncto aiebat : Proh dolor ! Ego quidem videbam ipsum magnis passibus progredientem : At necdum videbam illum desistentem.

§. 3.

Confucius simili quodam hortaturus suos ad constantiam aiebat : Seges quæ modò nascens viridantem protrudat herbulam, & tamen deinde nullos proferat flores, datur utique : Rursus, efflorescens jam seges, & tamen deinde nullos excludens fructus, datur similiter.

f. 7. p. 1. §. 1.

Confucius aiebat : Pueros ac juvenes par est suo quodàm modò vereri : Nam cui tandem constat olim illos non meliores futuros quàm sint modò, sic ut etiam superent nos ipsos ? Cæterùm qui quadragenarius vel quinquagenarius jam sit, & tamen necdum habeat nomen aut famam ; ejusmodi qui sit, equidem non est dignus, quem quis vereatur : actum est.

§. 2.

Confucius ait Prolata cum fide ac veritate monentis verba, licet etiam subaspera, potestne quis non audire ac suscipere, æquo saltem animo, si minùs læto ? Cæterum proficere ex illis & emendare, hoc est enimverò maximi faciendum. Rursus per ambages quasdam paulatim insinuatis consiliis & admonitionibus, an potest

quisquam non gaudere? quanquam proficere hîc, & ruminari illas identidem, hoc est enim verò primum maximeque necessarium Quod si gaudeat quis tantùm, & interim non expendat ac rumine tur id quo gaudet; nec pascatur cibo, quo videtur usque adeò delectari: Item si quis excipiat reverenter monita syncera & recta; & interim mores suos non conformet cum eis ac nihil emendet; ego certè non invenio quo pacto me geram cum ejusmodi homine: Actum est, oleum & operam uterque perdimus.

p. 2. §. 1.

Confucius aiebat: Nihil æquè sit cordi atque cordis synceritas ac fides. Non contrahas amicitiam cum eo, qui sit minus bonus quàm sis tu ipse. Peccasti? ergo ne dubites aut vereris emendare quod peccatum est.

§. 2.

Confucius aiebat: Trium legionum (id est, militum 37500.) exercitui maximè repugnanti, suus quandoque potest eripi ductor & abripi in servitutem. Quantumvis autem tenui abjectoque homuncioni non potest ullâ vi eripi liberæ mentis arbitrium.

§. 3.

Confucius collaudans suum discipulum *Yeû*, sive *çù lú* aiebat: qui indutus jam tritam ac laceram, eamque ex viliori cannabe togam unà cum aliis sodalibus inducis pelles vulpinas, & pelliculas *hô* (Hô *species est animalculi, cujus pellis vari est pretii*) consisteret, & tamen nequaquam erubesceret; fuit is sanè discipulus *Yeû*.

f. 8. p. 1. §. 1.

IDEM confirmat eandem laudem ex odâ quæ sic habet: Quisquis non est invidus, nec cupidus; ad quos tandem usus non erit apprimè idoneus?

§. 2.

Çu-lú præconio Magistri sui lætus, per omnem deinde vitam recitabat hunc versiculum. Quod advertens *Confucius*, & discipulum justo plùs sibi placentem repressurus sic ait: Ista laus & virtus quâ fit ut vaces invidia & cupiditate, quomodo sufficiat ut illico sis apprimè idoneus ad omnia, sic ut nihil jam desideretur amplius?

§. 3.

Confucius aiebat: Tempore brumali tum demùm scitur an pinis & cypressis sua deinde folia decidant. Illustre specimen illorum (inquit Colaus) quos tranquillâ Republicâ inter se mutuo perquàm similes, turbatâ deinde afflictaque dissimillimos fuisse probat, & fortes ab imbecillis, stultos à sapientibus manifestè discernit.

p. 2. §. 1.

Confucius aiebat: Prudens non hæsitat anceps animi: Verè probus & innocens non mœret, fortis ac magnanimus non pertimescit ac trepidat.

§. 2.

Confucius aiebat: Sunt quibuscum possis pariter auspicari studium virtutis ac sapientiæ; nec tamen possis deinde cum iisdem decurrere viam ipsam, seu exercitare propria sapientum opera. Alii sunt quibuscum etiam possis decurrere jam cœptam viam, nec tamen possis deinde cum iisdem, propterea quod careant constantiâ, diu persistere in via & cursu. Alii rursus sunt quibuscum possis constanter persistere in cœptâ via cursuque, nec tamen deinde possis cum iisdem ad exactissimum virtutis ac sapientiæ æquilibrium exigere res omnes actionesque vitæ totius.

f. 9. p. 1. §. 1.

Citatur hic versiculus depromptus ex veteri Poëmate, quo degens quispiam extrà patriam, longèque absens, & fortè conspicatus arborem, cui similem natali in solo viderat; amici, quem in patriâ reliquerat, recordatus hunc in modum cecinit: arboris pruniferæ frondes ac flores flante zephyro in partem nunc hanc nunc illam agitantur assiduè. Ah! quomodo non te cogitem, non te expetam videre! Sed heu! inania sunt vota ista! Etenim domus utriusque nostrûm est invicem remota.

§. 2.

Confucius hinc quoque doctrinæ succum petens sic aiebat: dicit ille quidem cogitari ab se patriam & amicum; sed reverà non cogitat: nam hîc quæ tandem distantia datur? quasi dicat si quidem seria esset cogitatio, ad iter jam pridem accinxisset sese. Nos quoque longè minori jure querimur distare à nobis virtutem ac sapientiam, de quâ sic cogitamus, ut cogitemus tantùm: Alioquin si cogitatio foret seria; jam nobis innata virtus ultrò rueret in amplexus nostros.

Inusitata planè fuit, & quæ modum videatur excessisse, diligentia, quâ discipuli minutissima quæque & dicta Confucii *& facta, quin etiam situs omnes ac motus non observârunt modò, sed etiam literis ad memoriam posterorum commendarunt, & nos quoque fastidioso licet Europæo, prout jacet, obtrudimus.*

p. 2. §. 1.

Confucius agens cum iis qui erant ejusdem secum gentis seu familiæ, habebat modum quendam agendi valde syncerè & candidè. Videbatur non valere ullâ facundiâ, aut doctrinâ præ cæteris.

§. 2.

§. 2.

IDEM tamen quotiescumque versabatur in Gentilitiis Regum aulis, aut regio in Palatio, clarè distinctèque loquebatur, at sic rursus ut nihil non maturè, consideratè, attentè.

f. 10. p. 1. §. 1.

IN aulâ Palatii regii quo tempore cum præfectis variorum ordinum Regem suum præstolabatur, ipse cum inferioribus quidem & æqualis secum dignitatis præfectis loquens cum gravitate quâdam rectè solidèque se gerebat. Cum superioribus verò præfectis loquens, suam illam gravitatem temperabat affabili quadam comitate.

§. 2.

REGE jam præsente assistebat cum singulari & quasi anxiâ quadam reverentiâ majestatis Regiæ; sic tamen, ut simul placidè, præsentique semper animo.

§. 3.

REGE accersente ipsum, ac jubente excipere hospites dynastas, tum verò oris ipsius color mutabatur quodammodo: Item pedes euntis & gressus impediti videbantur.

§. 4.

QUotiescumque dynasta quispiam hospes accedebat salutaturus Regem; *Confucius* si quidem pro officio tunc assisteret; ipse tunc si reverenter quidpiam significaret iis qui secum assistebant sive ad lævam sive ad dexteram. (*Reverenter, id est, eo ferè gestu, quo viri graves se mutuò consalutant; videlicet arcuatis utcunque brachiis, & manibus, quæ complicantur, ab ipso pectore paululum protensis.*) In illo, inquam, brachiorum motu, tamen ipsa vestis tam ante quàm retrò nunquam non concinne composita apparebat.

p. 2. §. 1. *

ITaque factâ jam potestate introducendi hospitis in conspectum Principis, *Confucius* accelerato gradu hospitem introducens sinuosæ vestis laxas utrinque manicas velut alas quasdam æquabiliter expandebat.

Gressûs acceleratio reverentiæ signum est, ne scilicet vel minimo temporis spatio Princeps expectet hospitem visentem.

§. 2.

HOspes ubi jam abcesserat extra conspectum Principis; tum *Confucius* nihil cunctatus renunciabat hoc Principi dicens: Hospes jam non respicit ampliùs, hoc est, abivit.

Moris namque est, ut abscedens hospes iterum ac sæpiùs vel ad eum ipsum quem visit, si quidem ab hoc deducitur, vel certè ad aulam, ubi visitatio peracta est, conversus, postremo salutationis officio perfungatur.

§. 3.

EXponitur jam qua ratione se gereret *Confucius*, quotiescunque se sistebat Regi: Quando ingrediebatur ædium regiarum portam, demisso præ reverentia non tantùm animo, sed demisso etiam & prorsus inclinato corpore haud secùs ac si non ipsum caperet porta, ingrediebatur.

§. 4.

SI CUBI consistendum illi esset, certè non consistebat unquam in media porta, per quam scilicet ipse Rex egredi & ingredi consueverat. Transiens per eandem non calcabat pede limen ipsum portæ.

§. 5.

PRegressus jam in interiora Palatii, & fortè transiens ante thronum Regium, tametsi Rex nondum adesset; tamen etiam tunc oris ipsius color mutari videbatur. Item pedes transeuntis ac gressus impediti videbantur. Quin & ipsius sermo videbatur etiam esse impeditior.

f. 11. p. 1. §. 1.

SI quando propiùs accedendum erat ad ipsum Regem considentem in solio, ambabus manibus attollens vestem per gradus conscendebat in aulam, demisso inclinatoque admodum corpore, non ausus vel oculos attollere: Tam studiosè interim represso anhelitu ut videretur quodammodo non respirare.

§. 2.

A Conspectu Regis egrediens, cum jam descenderet uno alterove gradu; protinùs explicabat pristinum oris colorem ac speciem ipse exhilarati jam instar. Deinde ab ultimo gradu aliquantò properantiùs pergebat explicato jam non tantùm curis animo, sed etiam explicatioribus hinc inde vestis suæ manicis eleganter incedens, & repetens proprium muneris sui locum cum cura & reverentia quadam inibi inter alios præfectorum consistebat.

§. 3.

Confucius quotiescunque legabatur ab suo Principe, qui primi erat ordinis, jamque alteri sistebat sese, manu tenebat insignia sui Principis inclinato reverenter corpore haud secùs ac si non esset par sustinendo ponderi tantæ dignitatis. Si quando attollebat ea, brachia sic conformabat ac si reverenter alterum saluraret; Si demittebat paululùm, utebatur gestu quasi offerentis quidpiam alteri. Inter hæc autem præ curâ, quâ tenebatur, ac metu, mutabatur, sicut confligentium color, & os, oculique mutari solent sub initium certaminis. Gressus item accelerato quidem & simul irretito similis, prorsus ac si pondus quodpiam traheret pedibus affixum.

p. 2. §. 1.

QUotiescumque Regis sui nomine offerebat munera alteri vel Regulo vel dynastæ; habebat affabilitate simul ac gravitate contemperatam oris speciem.

§. 2.

VErum cum privata deinde offerret munera suo ipsius nomine; tum plusculum nescio quid hilaritatis ad illam ipsam affabilitatem accedebat.

§ 3.

HOC & sequentibus paragraphis exponitur cujusmodi ferè vestes *Confucius*, quo modo, & quo tempore gestaret. Philosophus noster ad usum habitumque vulgarem non adhibebat unquam coloris flammei & subobscuri, coloris item rubei seu purpurei ornamentum collaris instar ac fimbriæ, supremæ infimæque oræ vestium assutum: hoc enim colore duntaxat utebatur in funeribus; illo in sacrificiis.

§. 4.

ITEM ex vulgari illo colore rubro, & violaceo vergente ad rubrum non conficiebat unquam vulgaris & domestici usûs vestes, tam gaudebat Philosophus nativa rerum simplicitate: Tum quia colores iidem apud matronas ac virgines in pretio ac usu erant.

§. 5.

PER menses æstivos vestem illam simplicem ac raram, quæ tunc vulgò erat in usu, sive esset contexta subtiliùs, sive rudiùs) ex *Co pu* scilicet, quæ species videtur quædam esse cannabis) nunquam non interiori alteri vesti superinduebat, adeoque æstivam illam faciebat extimam: Studio nimirum modestiæ, honestatis, ac verecundiæ; ne quid alioqui de corporis nuditate transpareret.

§. 12. p. 1. §. 1.

ERAT illi hyberno tempore sub nigrâ togâ ex agninis pellibus toga item nigra: Sub alba veste ex cervinis hinnulorum pellibus toga item alba: Sub croceâ veste ex vulpinis pellibus toga item crocea.

§. 2.

EA quâ vulgò domi suæ utebatur toga pellicea, promissa quidem erat: At contractior tamen ejusdem dextra manica, quo esset ad res contrectandas expeditior.

§. 3.

OMnino sua illi erat nocturna ad quietem vestis tam longa atque totum corpus, & insuper habebat alteram medietatem ejusdem corporis tegentem. Cæterùm vestis hujus potissimus erat illi usus jejunii tempore.

§. 4.

VUlpinæ, & animalculi *Ho* dicti pelles, utpote spissioribus instructæ pilis erant illi ad domesticos usus ac vestes hyberno tempore.

§. 5.

EXcepto luctûs tempore nulla res erat vel ad usum, vel ad ornatum, quam non & ipse more virorum gravium ex cingulo v. g. suspensam gestaret.

§. 6.

SI non utebatur semicinctio (utebatur autem assiduè tum in aulâ, tum etiam cùm sacris operabatur) id certè quo domi suæ passim utebatur, erat toga brevior lateraliter aperta, parsimoniæ, modestiæque, & commoditatis etiam gratiâ.

p. 2. §. 1.

PEllis agninæ togâ & nigri coloris pileo (quod essent propria festivi faustique temporis) non obibat lugentium officia.

§. 2.

CAlendis cujusquè mensis, etiam tunc cum non fungeretur publico munere, omnino tamen solemni cum habitu vestium cæteros inter Magistratus Regis salutandi gratiâ in aulâ comparebat.

§. 3.

QUO tempore jejunabat sacris daturus operam, omnino erat ei nitidissima mundissimaque vestis, index illius, quam studio tam impenso procurabat, puritatis internæ externæque. Cæterum nonnisi ex telâ gossipinâ ipsa erat.

§. 4.

EODEM jejunii tempore nunquam non mutabat rationem victûs, vino imprimis & carnibus abstinendo. Quin etiam quod ad ipsum commorandi locum attinet, omnino mutabat locum solitum. *Sancti nimirùm, ut Colaus concludit, sic venerantur spiritus, ac si hi ipsis præsentes assisterent: Idcircò abstinentiæ, continentiæque tam sedulo & tam sollicitè dant operam.*

Hactenus de habitu cultuque corporis; nunc quibus maximè eduliis, quo item modo, quo ritu, quâ temperantiâ vesceretur, exponunt discipuli.

§. 5.

AD rationem victûs quod attinet, non respuebat ipse simplicem orizam aquâ decoctam. A minutalibus ex carne vel piscibus non abhorrebat, quamvis essent valdè minutim concisa.

§. 6.

EDULIA propter tepentem humiditatem jam corrupta, exempli gratiâ, piscem jam cœptum resolvi ac putrescere, vel carnem jam corruptam non edebat. Quin etiam si color ipse eduliorum jam

rum jam fortè vitiatus erat, non vescebatur. Si odor item vitiatus erat, non vescebatur. Carentia debito temperamento condimentòve, non edebat. Immaturum quid, ut fruges, fructusve, non edebat.

f. 13. p. 1. §. 1.

SI quid sectum erat non aptè rectève, non edebat. (*Cum enim Sinæ rusticitatis esse putent, cibos attrectare digitis; atque adeò quidquid est eduliorum; quin & orizam ipsam, geminis paxillis, eisque oblongis perquàm scitè dextreque in os inserant: Idcircò nihil ferè carnis in mensam inferunt, quod non ante sit in frusta concisum.*) Si quod edulium non haberet suum embamma, seu intinctum, non edebat.

Nudum salem, uti nos, non exponunt Sinæ in mensâ: Sed ejus loco varii generis intinctus, necnon olera, & legumina sale condita, & orizæ cupidius edendæ perquam accommodata.

§. 2.

CArnis etiamsi esset copia, non tamen faciebat, seu, non sic ea vescebatur, ut excederet quantitate sua panis vel orizæ succum. Solummodò quod attinet ad vini usum, non habebat mensuram certam, quam sibi ipse præscripsisset: Nunquam tamen utebatur eo immoderatiùs; adeoque non accedebat unquam ad perturbationem mentis.

§. 3.

COEMPTO in triviis compitisque vino, coemptâ similiter carne siccatâ; veritus ut essent munda, non utebatur.

p. 2. §. 1.

NON abstinebat gingiberis esu, sed ad singula ferè adhibebat edulia; propterea quod excitet imprimis ipsos spiritus hominis, arceatque valetudini contraria.

§. 2.

UNiversim denique non multi cibi erat ipse.

§. 3.

QUO tempore parentales oblationes & epulæ exercebantur in Palatio Regio, non detinebat *Confucius* ne per unam quidem noctem carnes illas, quas peracto Ritu Rex ipse ad Magistratus & clientes suos de more dono miserat: Ritu autem privato domûs suæ, & in memoriam majorum domesticorum oblatas à se similiter epulas, & carnes non servabat ultra triduum. Quæ jam excessissent triduum, non edebantur à quoquam, quippe jam vitiari cœptæ.

§. 4.

INTER edendum non sermocinabatur, inter cubandum non loquebatur, nisi fortè interrogatus.

§. 5.

QUAMVIS uteretur cibo admodum vulgari parabilique, ex. gr. ex oleribus parato jusculo, omnino tamen libabat ex illo ipso tum suis majoribus, tum iis quorum opera industriaque hæc obvenerant humano generi; & sic planè perpetua quædam jejunandi ratio illa erat, genique fraudandi.

f. 14 p. 1. §. 1.

HUmus ipsa storeis instrata Priscis erat pro sedili. Storeæ itaque non rectè collocatæ non insidebat, tanta illi vel minimis infimisque in rebus, recti erat cura.

§. 2.

CONsanguinei ejus & affines & populares cùm epulabantur; utentibus jam scipione, id est, sexagenariis primùm egressis, absoluto jam convivio, ipse mox deinde egrediebatur; nunquam non venerari solitus canos.

§. 3.

POpularibus eisdem per menses hybernos supplicationem instituentibus ad arcendos spiritus morbiferos, ut aiebant, ipse vestitum solemniorem induebat & consistebat in aditu suæ domûs & gradu orientali ubi visenti se hospiti consueverat occurrere.

Usum supplicationis hujus unâ ferè cum familiâ Cheu *ortum habuisse docent Interpretes, & Chu çù quidem festivo cuipiam ludo fuisse non absimilem. At* Cham tûm ço *aliquid hîc à* Confucio *tributum fuisse observantiæ suæ adversùs Imperatorem, qui & ipse autumnali tempore patiebatur ritum hunc ludumve in aulâ suâ exerceri.*

§. 4.

MIttens quempiam suorum qui officiosè percunctaretur de valetudine amici degentis in diversa regione, demisso reverenter corpore iterum iterumque salutabat absentem amicum, haud secùs ac si præsentem cerneret, & eum qui ab se mittebatur, etiamsi famulus esset, tamen honorificè deducebat, in nuntio illum, ad quem nuntius destinabatur, honorans.

§. 5.

KI cam çu Præfectus Regni *Lù Confucio* dono miserat pharmacum. *Confucius* cum gratiis & cum honoris significatione admittens illud, candidè dixit: Ego non satis habeo perspectum, quid illi virtutis & efficacitatis insit: Atque adeo necdum ausum degustare

p. 2. §. 1.

EQuile *Confucii*, cum is Præfectum ageret, fortè conflagraverat: Is ergò redux ab aulâ obvio sibi nuntio domesticæ calamitatis, heus, inquit: An læsit ignis hominem quempiam, nihil interim sciscitatus de equis.

§. 2.

REGNI *Lù* Princeps cum honorabat eum cibario munere; certo certiùs componebat stoream, seu sedile, non secùs ac si Princeps ipse adesset: Ac primùm quidem delibabat ipse munus tum deinde cæteris imperticbatur. Idem Princeps quando mittebat ipsi munus honorarium carnis crudæ; *Confucius* indubitanter eam coquebat primùm; deinde verò offerebat majoribus vitâ functis. Denique idem suus Princeps si dono miserat ei vivum aliquod animal, haud dubiè alebat illud ac sustentabat sollicitè, neutiquam, ausus absumere Regiæ beneficentiæ vivum argumentum.

§. 3.

SI quando assidens ad latus, epularetur unà cum suo Principe; ipso Principe majoribus suis de more jam libaturo singula eduliorum; *Confucius* præ modestiâ nolens uti jure suo hospitis, quo licebat ipsi quoque libare similiter, hoc unum faciebat: Admodum dextere Principem antevertens edulia singula prælibabat. Dixisses non tam convivam esse Principis, quàm prægustatorem.

§. 4

SI ægrotaret *Confucius*, & Rex viseret ægrotantem; tum ipse ad ortum obvertebat caput: Item superimponebat sibi in lectulo decumbenti solemniores vestes (quibus uti consueverat, quotiescunque Regem adibat salutandi gratiâ) Ipsis autem vestibus superinducebat majus honoratiusque cingulum.

f. 15. p. 1. §. 1.

A Rege jussus accersi *Confucius*, non expectato curru suo domestico, confestim in viam se dabat pedes.

§. 2.

QUando ingrediebatur in majorem aulam gentilitiam memoriæ Principis *Cheu cum* dedicatam; imbi de singulis propè rebus percunctabatur.

§. 3.

AMicorum aliquo fortè mortuo, si quidem is non habuisset ad quem funeris procurandi gratiâ prefugeret; *Confucius* tum dicebat: in me sit ista cura procurandi funeris.

§. 4.

MIssis ad se amicorum muneribus ac donis, etiamsi essent currus & equi, aliave majoris pretii; tamen exceptis duntaxat iis quæ prisco ritu oblatæ majoribus fuerant, carnibus, haud ulli reliquorum munerum exhibebat honorem.

§. 5.

QUando cubabat dormiendi causa; tum quoque modestiæ decentiæque memor, non jacebat instar cadaveris, resupinus scilicet, ac fœdè distentus. Cum suis domi degens, & intra priva-

tos parietes, deponebat ipse quodammodo solitam gravitatem.

p. 2. §. 1.

CONspicatus quempiam indutum veste lugubri, quamvis alioquin summè familiarem sibi, certissimò tamen mutabat oris speciem, ex intimo quodam sensu commiserantis animi. Conspicatus item quempiam coopertum solemni pileo, & qui proprius esset Magistratuum, vel quempiam orbatum luminibus, etiamsi privatim cum eis ageret; haud dubiè tamen cum reverentiâ & honore tractabat illos.

§. 2.

QUicunque lugubrem induto vestem, etiam tunc quando vehebatur curru, assurgebat ipse honoris gratia, in anteriorem partem sui currûs incumbens. Similiter assurgebat ei qui deferebat Codicem publicum, quo populi totius nomina continebantur; in eo populum veneratus universum.

§. 3.

SI quando celebraretur opiparum splendidumque convivium in gratiam *Confucii*; ipse videns mensam tot epulis instructam, reliquumque apparatum; haud dubiè mutabat oris speciem, & protinùs assurgebat, gratias acturus hospiti pro delato sibi honore.

§. 4.

AD repentina tonitrua, nec non ad ventos sævos atque terribiles, nunquam non mutabat oris speciem, sacro quodam perculsus horrore, reverentiamque suam erga supremam cœli majestatem haud obscurè declarans.

Sed hoc minime novum in Philosopho, quando & ipse & Pristi Sinarum Reges per nocturnas quoque horas è strato se proripere solebant, cœlo fulminante, vel tonante; & solemniori operti pileo ac veste, placandæ iræ cœlesti ritè operam dare; uti ex libris eorumdem constat.

§. 5.

QUando conscendebat *Confucius* currum; nunquam non erectus stans arripiebat habenas.

§. 6.

IN ipso curru existens non retrò convertebat oculos: nihil etiam præpropere seu præcipitanter dicebat: Rem nullam suo monstrabat digito.

f. 16. p. 1. §. 1.

AVIS ad primam speciem & aspectum aucupis, à quo sibi strui videt insidias, hoc ipso protinùs evolat in altum, longeque volans aufert sese, ac deinde circumspiciens accommodatum sibi tutumque locum, sistit inibi secura & conquiescit.

p. 2.

§. 2.

Confucius, uti memorant discipuli, ruri conspicatus aliquando gallinam sylvestrem, suspirans, aiebat: Quam ego nunc conspicor, in montis vertice gallina sylvestris, ut novit ipsa suum tempus! ut novit ipsa suum tempus! volandi scilicet, quiescendi, &c. unam in his omnibus magistram sequens naturam. Hæc dicenti Philosopho assistens discipulus *çu lu* eminus & ipse contemplabatur avem, non sine desiderio ejusdem capiendæ. Verùm ter gracillans ipsa properè sustulit sese & avolavit; re ipsâ, fugâque illâ confirmans id quodammodo, quod supra dictum fuerat.

Salubrem ex his doctrinam Colaus noster eruit, dum ab ipsis quoque brutis animantibus discere nos voluit, rerum recte agendarum tempus & occasionem negligi haud oportere ab homine, cui non natura tantum, sed ipsa quoque ratio Dux & Magistra est.

LIBRI TERTII

PARS SEXTA.

Fol. 1. pag. 1. paragr. 1.

CONFUCIUS ait: Priores, sive Majores nostri in observantiâ concordiâque mutuâ, id est, in obeundis officiis subrustici homines erant, si quidem audiamus fastidiosæ ætatis nostræ sententiam. Posteriores verò, nos inquam, ipsi, qui imperante familia *Cheu* luxurie copiâque tantâ rituum & cerimoniarum effloresçimus, in observantiâ concordiâque mutuâ eximii clarissimique viri sumus scilicet.

§. 2. Nihilominùs quantum spectat ad usum exercitiumque tam observantiæ illius quàm concordiæ, tum ego certè sequar priores meos.

§. 3. *Confucius* reminiscens discipulorum, quorum alii diem obierant; alii Magistratum alibi gerebant, non sine gemitu aiebat: olim qui sequebantur me in Regnis *Chin* & *çai*, omnes jam non ampliùs accedunt ad hoc gymnasium meum.

p. 2. §. 1. Hac occasione commemorantur discipuli omnino decem, laborum socii, & quâ quisque laude maxime præstiterit, exponitur, & virtutum quidem exercitatione celebres erant imprimis quatuor: *Yen yven*, *Mim çu kien*, *Gen pe nieu*, *Chum cum*. Dicendi

arte & facundiâ *çai ngo*, & *çu cam*. Arte induſtriaque adminiſtrandi Rempublicam *Gen yeu*, & *Ki lu*. Litterarum peritiâ elegantiaque *çu yeu*, & *çu hia*.

§. 2. *Confucius* ait: Unus ex omnibus *Hoei* non adjutabat me dubia ſcilicet proponendo. Ex meis etenim ſermonibus ſententiiſque non erat vel una, quâ non vehementer lætaretur: Supervacaneum ducebat ſcilicet quidquam interrogare.

§. 3. *Confucius* exclamans in laudem diſcipuli ſui ait: O virum raræ pietatis obedientiæque *Mim çu kien*! Alieni quippe non diſcrepant ab ejus patris matriſque, necnon fratrum natu majorum minorumque ſermonibus, quibus ejuſdem pietas & obedientia celebratur: Una eſt vox ſcilicet omnium, & admirabilis conſenſus.

Diſcipulus iſte ſuave dedit ſpecimen & charitatis & prudentiæ etiamnum puer. Matrem propè infans amiſerat, duxeratque pater uxorem alteram. Ex hâc nati ſunt ei duo filii, quos illa quidem fovet ut mater, & adversùs brumæ aſperitatem ſuffultis gſſypio veſtibus munit imprimis, privignum interim, ut noverca negligens. Eum fortè pater brumali die currum juſſerat agere: Quando malè amictus puer tantum non obriguit frigore. Pater cognita rei cauſa indignabundus ſtatuit uxorem domo ejicere: Quod animadvertens pius filius, ſupplex & cum lachrymis; parce inquit, ô genitor! Parce matri, ut parcas filiis: Hæc enim ſi maneat; ego duntaxat unus patiar incommodi quidpiam: At ſi dimittitur, jam tres omnino filii plurimum patiemur. Fregit amoris illa vox iram patris, & ex novercâ matrem fecit.

f. 2. p. 1. §. 1. Diſcipulus *Nân ynm* quotidie iterum ac tertio repetebat odam *Pe quei* dictam, quâ tum alia documenta, tum ea potiſſimùm continentur, quæ prudenter & conſideratè loqui nos docent: *Confucius* ob eam rem ſui fratris natu majoris filiam in uxorem ei tradidit.

§. 2. Regni *Lu* Præfectus *Ki cam çu* quæſivit à *Confucio*, diſcipulorum ejus ecquis eſſet ſtudioſior? *Confucius* reſpondit: Unus fuit *Yen hoei* omnium ſtudioſiſſimus. At infelix poſt perbrevem uſuram hujus vitæ immaturus obiit: Nunc autem proh dolor! actum eſt; neque ſpem video ſimilem diſcipulum nanciſcendi.

p. 2. §. 1. *Yen yven* defuncto, *Yen-lu* ejuſdem pater ſatis importuna cum ſimplicitate flagitavit ſibi *Confucii* currum, ut ex eo, ſeu, ejus pretio conficeret extimum loculum.

§. 2. *Confucius*, qui tunc Præfectus erat Regni *Lu*, parentum affectum plerumque cæcum erga prolem ſuam hic notans, reverà, inquit, ſic eſt: Qualiſcunque tandem ſit ſoboles, ſive valeat ingenio, ſive non valeat; tamen unuſquiſque pater patrocinatur ſuo filio. *Li pe yu* filius meus, & quidem unicus, ubi mortuus eſt, habuit ſarcophagum ſuum, ſed vulgarem, & ſine extimo illo loculo;

apparatu ſcilicet ad meam tunc temporis conditionem accommodato. Ego certè non pedes incedam: ut conficiatur extimus loculus ex curru meo. Quandoquidem enim ego nunc inter Præfectos ſum noviſſimus (modeſtiæ gratiâ ſic loquitur) nequaquam me convenit peditem incedere.

f. 3. p. 1. §. 1. *Yen-yven* defuncto ſuſpirans *Confucius* aiebat: Proh dolor! Cœlum tumulavit me! Cœlum tumulavit me!

§. 2. *Yen-yven* defuncto *Confucius* plorabat & ſupra modum lugebat. Quo animadverſo diſcipuli dixerunt: Tu, ô Magiſter, nimium indulges luctui & lachrymis.

§. 3. *Confucius* haud aliter ac ſi evigilaſſet ex ſopore, quid egi? inquit, num ploravi & luxi immoderatius? Planè ſic res habet: modum neſcit vehemens dolor.

§. 4. Peccatum eſt à me: Quamquam ſi non talis ac tanti viri causâ lugeam acerbiùs; cujus tandem causâ lugebo?

§. 5. *Yen-yven* defuncto diſcipuli deſiderabant ſumptuoſius ſepelire ipſum. *Confucius* ait: Non convenit. Ratio namque funeris accommodanda eſt ad conditionem illius, quam vivens obtinebat is, cujus funus ducitur.

§. 6. Diſcipuli nihilominus ſumptuosè eum ſepeliverunt.

§. 7. Non probavit rem *Confucius*, qui ſuſpirans, inquit, diſcipulus meus *Yen-hoei*, in vivis conſiderabat me prorſus uti patrem. At ego nunc, quamvis maximè velim, non poſſum conſiderare illum uti filium, quippe qui ſepultus præter ordinem moremque diſceſſit ab inſtitutis majorum: At certè, non ego ſum in culpâ; ſed vos quotquot eſtis diſcipuli mei.

p. 2. §. 1. *Ki-lu* quæſivit à Magiſtro ſuo, quî ſerviendum ſit ſpiritibus? *Confucius*, tu, inquit, necdum probè noſti ſervire hominibus, qui ante oculos tuos verſantur quotidie; quomodo poteris ſervire ſpiritibus à noſtro mortalium ſenſu tam remotis? Ergò liceat mihi ſaltem (inquit idem diſcipulus) Exquirere abs te de morte. Reſpondet: Necdum probe noſti vivere, quomodo noſces mori?

§. 2. *Mim-çu* diſcipulus unà cum aliis adſtabat lateri *Confucii* eâ cum ſerenitate habituque corporis, ut non obſcurè proderet interiorem recti animi ſtatum. *çu-lu* verò animoſa intrepidaque ſpecie. *Gen-yeu* & *çu-cum* conſtantiam neſcio quam & integritatem prodente ipſo habitu ſpecieque oris & corporis. Quæ omnia obſervans *Confucius* gaudebat, quod ſperaret in adita ſapientiæ aliquando ingreſſuros.

§. 3. Quamquam quod attinet ad diſcipulum *Yeu* (ſeu *çu-lu*) quam vereor, inquiebat, ne illi præfervida ſua indoles ſit fraudi! non obtinebit ſuam mortem placidam & connaturalem. Præſagos

Magistri metus probavit eventus : miserabili enim in bello morte occubuit adhuc vivente *Confucio.*

f. 4. p. 1. §. 1. Regni *Lù* homines, id est, tres familiæ præpotentes, quæ oppressa ferè authoritate Principis potiebantur rerum, moliebantur novum Regni sui ærarium, propterea quod vetus minaretur ruinam.

§. 2. Consultus hac in re *Mim-çu-kien* sic ait : Secundum veterem suam formam si restauretur, ecquid vobis videtur ? Quid obsecro, necesse est denuò extruere à fundamentis novum ærarium, & in labores sumptusque tam immodicos populum conjicere.

§. 3. *Confucius* hoc audito gavisus, reverà, inquit, iste vir non loquitur, nisi perparce. At cum loquitur, omnino scopum attingit, & quæ dicit, consentanea sunt rationi.

§. 4. *çu lu* musica delectabatur quidem, sed ea, quæ Martem & arma resonaret; longe secùs ac suus Magister. *Confucius* itaque cum forte audiret discipulum hunc domi suæ canentem fidibus, quid audio : inquit, discipuli mei *Yeu* instrumentum quid facit in mea domo ?

§. 5. Condiscipuli propter hoc Magistri dictum minus jam honorabant, & tantum non aspernabantur ipsum *çu lu.* Quod animadvertens *Confucius*, absit, inquit, ut hunc virum aspernemini. Discipulus *Yeu* jam certe subiit in aulam Philosophiæ nostræ ; quamvis necdum introivit in interiores ejusdem ædes ac penetralia.

Condiscipulus Gen yeu *fortè significaverat ipsi* çu-lu, *quam non probaretur Magistro ejus musica : ea res sic afflixit hominem, ut diem totum nihil admitteret edulii. Usque adeò dolebat aliquid sui non probari Magistro. quod hic audiens*, qui peccavit, *inquit*, sed *quod peccatum est, vult protinùs emendare, is progressum fecit haud pœnitendum, quo lb nem çai, ki çin y hu.*

p. 2. § 1. *çu-cum* percontatur de duobus condiscipulis *Su* & *Xam*, uter esset sapientior ? *Confucius* respondit : *Su* excedit, *Xam* verò non pertingit. Ambo deerrant à medio.

§. 2. Ait iterum *çu cum* : si ita est, ergo *Su* antecellit sapientia alterum.

§. 3. *Confucius* ait : Proprius sapientiæ locus est medium, quod qui transilit, similis est non attingenti.

§. 4. *Ki xi* dynasta præpotens & Præfectus Regni *Lu* (inquiebant discipuli ad *Confucium*) nunc opulentior est quam ipse fuerit *Cheu-cum* frater *Vu-vam* Imperatoris. Interim verò *Gen kieu* domesticus administer ipsius, pro ipso congerit immodica tributa, & operam confert ei locupletando.

f. 5. p. 1. §. 1. *Confucius* hæc audiens, qui res, inquit, tam alienas gerit à doctrina mea & ratione, non est meus discipulus. Vos ô discipuli

ô discipuli mei, pulsare nunc oportet tympana; voces, inquam, animosque & studia jungere, & oppugnare illius improbitatem stultitiamque.

§. 2. Exponit hîc *Confucius*, quid etiamnum desideret in quatuor discipulis sibi charis imprimis; *Chai*, inquit, syncerus est ille quidem ac sedulus, at rudis est etiamnum multarum rerum.

§. 3. *çem-çan* (is ipse qui librum *Ta-hio* in lucem edidit) tardior est & parum acutus ac perspicax.

§. 4. *Su* justo plus tribuens exteriori cultui & compositioni.

p. 2. §. 1. *Yeu* (seu *çu-lu*) asperis adhuc & inconditis subrusticisque moribus est.

§. 2. *Confucius* aiebat: Meus *Hoei* ô quam is prope aberat à verâ virtute! Sæpè ad extremam rerum penuriam redactus fuit, & ne tum quidem à suscepto virtutis proposito recedebat.

§. 3. Secùs verò discipulus meus *Su* suo se regebat arbitrio consilioque, & non acquiescebat cœli dispensantis opes arbitrio; sed opes imprimis studiosè cumulabat; cumque valeret ingenio industriaque, idcircò ubi quid moliebatur, tum plerumque ferè optatum res habebat successum.

f. 6. p. 1. §. 1. *çu-cham* percontatur de bonorum hominum ratione & viâ, eorum scilicet qui citra studium, nativâ quâdam facilitate indolis ac bonitate sunt præditi. *Confucius* respondet: Tales ut censeantur & sint, non illi quidem necessario insistent vestigiis Sanctorum ac Sapientium; Contenti sanè sint nativis illis, ut sic loquar, opibus suis; sed etiam revera sic non ingredientur unquam in adyta penetraliaque sapientiæ, ad quæ solâ nativa bonitas non pertingit.

§. 2. *Confucius* ait: Discurrat quispiam ac disputet de rebus optimis, nec copiosè modò, sed etiam solidis firmissimisque rationibus, sic ut talis habeatur ab audientibus, qualem sonat ipsa oratio; an hic illico censendus erit vir virtutis solidæ, an fucatus & fictus?

§. 3. Discipulus *çu-lu*, Magistrum interrogat: An posthac ubi quid audivero abs te, hoc ipso mox exequar ac perficiam? *Confucius* respondet: Sunt tibi pater & frater natu major etiamnum superstites, illos tu audias licet. Quo pacto igitur ubi quid audiveris abs me, hoc ipso mox perficias? Alter discipulus *Gen yeu* dictus similiter Magistrum interrogat: Num ego posthac ubi quid audivero abs te, mox perficiam? *Confucius* ait: Omnino sic age: Audi me, & quidquid audieris protinùs & animosè fac perficias. Tertius *Cum si hoa* dictus, admiratus magistri responsum tam dissimile in re tamen simillimâ, quid hîc, obsecro, mysterii latet, inquit: *yeu* discipulus tuus interrogavit, ubi quid audivero abs te, moxne perficiam? Et tu res-

pondisti, sunt tibi pater & frater nou major superstites; illos audi? Alter discipulus, *Kieu* seu *Gen yeu*, item interrogavit, ubi quid audivero ab te, moxne perficiam: & tu respondisti: quidquid audieris, protinùs fac perficias. Ego *Che* (parvum nomen est *Cum si hoa*) hæreo incertus & perplexus responso tam dispari. Ausim itaque scio scitari abs te, quid sibi hoc velit. *Confucius* respondit: Discipulus *Kieu*, uti nosti, timidi & imbecillioris animi est: Facilè cedit ac retrocedit; idcirco incitandus & propellendus fuit ut à me audita mox perficeret. Alter verò *yeu*, animosior est justo, & cum arrogantia quadam ardet antecellere cæteros; & idcirco reprimendus fuit & rejiciendus ad parentes & fratres, ut iis morem gerens, modestior evadat.

p. 2. *Confucius* erat cum cura & metu non mediocri in ditione *quam*, idque propter periculum sanè præsens, in quod ipsum conjecerat sua species & forma corporis admodùm similis alterius cujusdam Præfecti quem quidem sic oderant indigenæ, ut ad necem quærerent; jamque adeo armis obsidebant diversorium Philosophi. Cujus interim fidus Achates *yen yuen* tunc fortè retrò moratus aberat. Verùm non multò post adventu ejusdem aspectuque exhilaratus *Confucius*, reverà, inquit, jam ego te censebam esse mortuum. At ille absit hoc, inquit, optime Magister, te namque superstite, discipulus tuus *Hyei* quî ausim, vel quî sustineam injussus mori?

§. 7. p. 1. §. 1. *Ki çu gen* vir potens ac nobilis in Regno *Lu*, *Confucium* percontatur de duobus ejusdem discipulis, necnon Ministris suis & Consiliariis *Chum yeu* & *Gen Kieu*, an scilicet possint vocari præstantes & magni administri.

§. 2. *Confucius* respondet in hunc modum: Ego illam tuam existimabam fore de re prorsus eximiâ & de viris admodum illustribus percontationem. Verùm nunc, uti video, de duobus istis hominibus, de *yeu*, inquam, & *Kieu* est quæstio tua: Quæ satis declarat, ignorari abs te, in quo posita sit laus & ratio magni administri.

§. 3. Etenim quisquis dicitur magnus administer & Consiliarius Principis, is omnino secundùm id quod jus & ratio poscit, servit Principi. Quod si nequeat servire hoc pacto; tum desistit ac renuntiat suo muneri.

§. 4. Nunc ergò duo isti *yeu* & *Kieu* discipuli quondam mei poterunt fortasse dici vulgares ac de trivio ministelli.

§. 5. Ad hæc rursus *Ki çu gen* ait: sit ita, non sint, inquam, primi ordinis ministri; at certè familiæ nostræ *Ki* nonne obsequentes erunt & obtemperabunt mandatis nostris.

p. 2. §. 1. *Confucius* respondet: Sic ut naturæ jura sanctissima violent, ut interficiant, inquam, patrem suum, vel Principem; eatenùs, etiam ipsi, quamvis alioqui parum fortes ac probi, haudqua-

quam tamen obtemperabunt. Tacitè significat suspicionem suam de ipso percontatoris animo, quod contra Principem suum aliquid machinetur.

§. 2. *çu-lu* præcipuus administer præpotentis familiæ *Ki*, authoritate gratiâque suâ fecerat ut condiscipulus *çu-cao* ageret exiguæ cujusdam ditiunculæ *Pi* dictæ Præfectum.

§. 3. *Confucius* factum damnans, mihi crede, inquit, damno tu es huic homini *çu-cao* optimæ alioquin indolis ac spei dum immaturum, ad munus publicum inconsultè promoves.

§. 4. *çu-lu* etsi satis jam intelligeret, se istâ in re fuisse præcipitem, cum tueri tamen mallet errorem suum, quam ingenuè fateri; At enim, inquit, est ipsi populus, quem regat; sunt spiritus ditionis & agrorum præsides, quibus debita exhibeantur pietatis officia. Quid, obsecro, necesse est vacare prius litterarum monimentis, ac tum demum censeri studuisse? immo vero regere populum, & obsequi spiritibus, hoc ipsum studere est.

§. 5. *Confucius* immodestâ responsione suboffensus; enimverò, inquit, hæc est ratio cur oderim & execrer hujuscemodi garrulos, & errore novo tuentes errorem suum.

f. 8. p. 1. §. 1. Fortè quatuor discipuli nimirum *çu-lu*, *çem sie*, *gen yeu*, & *cum si hoâ* ad latus Magistri considebant.

§. 2. Avebat autem scire *Confucius*, quid singuli haberent in votis. Quod ut familiarius, fidentiusque exponerent; æquales sumus, inquit, quotquot hîc sumus; quod ego namque uno alterove die grandior sim quam vos sitis; non mei, seu, ætatis hujus meæ, rationem habeatis, quin loquamini fidenter.

§. 3. Quando vos degitis, privati, tum dicitis (opinor) haud rarò: non ego cognoscor, adeoque non est qui utatur meâ operâ: quod si ergo quispiam novisset vos, si perspectas haberet egregias dotes, ac facultates vestras; jamque adeò uteretur vestrâ operâ; tum quo maximè modo vos haberetis; quid, inquam, ageretis.

p. 2. §. 1. *çu-lu* nihil cunctatus, repentè, nec sine quâdam jactantiâ respondet: Mille quadrigarum dynastia (*continebatur, hæc ambitu centum stadiorum Sinensium, id est, octo ferè leucarum nostratium; eratque propria Regulorum.*) Medio sita loco & conclusa sit quodammodo inter majora duo regna. Augeatur eadem & firmetur cum præsidiis bellicis, atque imprimis majoribus minoribusque militum legionibus. Inter hæc autem frequens adsit segetum frugumque fertilitas: Ego verò in tali re ac tempore gubernator sim istius dynastiæ; spondere profectò ausim, quod vixdum exacto triennii spatio potero efficere ut vel sic habeant subditi mei multum roboris & fidei, constantiæque, simulque sciant præ oculis habere æquitatem suæ causæ, patriæque libertatem; & me duce socioque fortiter

ubi fuerit opus, pro eâdem occumbere. *Confucius* hæc audiens subrisit.

§. 2. Tu verò discipule mi *Kieu*, sive *Gen yeu*, tu quid agitas animo. Respondet ille: Ditionem quampiam sexaginta, vel septuaginta stadiorum, vel hâc ipsâ minorem, exempli gratiâ, quinquaginta vel sexaginta stadiorum (*Hæc quatuor aut quinque leucarum ambitu continebatur, eratque propria dynastarum inferioris ordinis*) Ego si administrarem, vixdum exacto triennii spatio possem fortasse curâ meâ industriaque efficere ut affatim esset populo earum rerum, quæ sunt ad vitam sustentandam necessariæ. Cæterùm quod spectat ad ipsos ritus officiaque civilia, necnon mutuam omnium inter se suoque cum principe concordiam, moresque & disciplinam Reipublicæ bene constitutæ; ad hoc perficiendum, sicut ipse sum impar, ita præstolor eximiæ virtutis sapientiæque virum, qui perficiat.

f. 9. p. 1. §. 1. Et tu, mi discipule *Che*, sive *cum si hoa*, tu quid moliris animo. Respondet: Ego similiter non facilè dixero id posse me, quod *Gen yeu* pro modestiâ suâ prudentiaque negat se posse. Desidero interim (quod unum quoque possum) assiduè discere. In parentalium verò aularum rebus propriis, apparatuque funebri, uti etiam cum celebrantur comitia extraordinaria Regulorum tantùm, & alia maximè generalia omnium; tunc ego cæruleâ indutus veste, & cum proprio loci illius temporisque pileo, optarem & mirificè gauderem assistere spectator, quin & agere inferioris ordinis administrum.

§. 2. Tu denique, mi bone senex *Tien*, sive *cem sie*, tu quid habes in votis. Ad hanc magistri vocem pulsare instrumentum desiit, sonoque fidium paulatim remittente, ac remoto tandem ab se instrumento, & consurgens respondit: Ego quidem planè dissentio ab istis trium condiscipulorum propositionibus ac votis. *Confucius* ait: Quid officit? non ideo tu nos cela, quid sentias & optes. Et verò sicut sua cuique studia sunt ac vota, sic quisque profatur & explicat sui animi sententiam & vota. Paret senex, & ait: Quod ego hîc & nunc expeto imprimis, tam est ætati meæ naturæque consentaneum, quam alienum ab omni specie cupiditatis & ambitionis. Porrò nihil est aliud quàm exeunte vere, verno habitu vestitum, id est, simplici, levique, & ad senile corpus jam accommodato: Unà cum pileatis, id est, qui adolescentia jam excesserunt, quinque vel sex sodalibus eorumdem mecum studiorum: Item cum adolescentulis sex septemve deambulare in pomæriis australibus; ibique corpus abluere in fonte fluminis *y*. Deinde verò captare ventum in umbroso nemore *Vu yu* (locus erat ubi cœlo sacrificare consueverant, quotiescunque deprecabantur imminentem ex pluviæ defectu sterilitatem) Ac tandem alternis modulari suaviter, & sic lætos alacresque demum repetere.

petere. *Confucius* ista senis ingenui simplicitate delectatus, eique applaudentis instar & simul tamen suspirans, bellè tu, inquit, approbo quæ dixisti; *Mi tien.*

Varias approbationis hujus causas afferunt Colaus, aliique Interpretes; 1. Ut sic ostenderet Philosophus, haudquaquam probari ab se cupidinem dominandi. 2. Ut doceret alienam esse à sapiente jactantiam omnem & vanitatem. 3. Multò minus viro sapienti appetendum esse quidpiam, quod extra ipsum sit, & ab alieno pendeat arbitrio, seu cœli seu hominum. Ad extremum, approbare hic visus est sententiam çem sie, *quamvis alioqui jocosæ similem, quia nimirum tendebat ad scopum longè præcipuum Philosophiæ suæ, qui quidem scopus erat charitas seu amor quidam communis erga omnes omnis ætatis homines; quo optabat grandævis pacem & tranquillitatem; inter æquales & amicos fidem atque concordiam; erga imbecillioris ætatis adolescentes curam & commiserationem. Hæc Interpretes.*

p. 2. §. 1. Primis itaque tribus discipulis egressis, quartus *çem-sie* remanserat: hic *çem-sie* igitur sciscitatus ait: De horum trium discipulorum sententiâ & discursu, ecquid tibi videtur, ô Magister? *Confucius* respondit: Equidem quisque profatus est animi sui sensum ac votum, & nihil præterea.

§. 2. At inquit *çem sie*, tu ô Magister cur ridebas discipulum tuum *ycu*, quando is primo loco vota sua exposuit?

f. 10. p. 1. §. 1. *Confucius* respondet: Administrandum est Regnum ex præscripto & normâ officiorum ac legum: In his verò primum obtinet locum modestia, submissioque animi. Hujus autem discipuli sermones & verba non significabant ullam modestiam: Atque hæc fuit causa cur subriserim.

§. 2. At (inquit senior) num solus iste desiderio tenebatur imperitandi? *Kieu* certè discipulo alteri nonne erat suum quoque in votis Regnum? At risum tenui, inquit, *Confucius* quia ejus oratio erat modestior; quod alioquin & ipse meditaretur regnum, cui dubium possit esse? Ecquando namque vidit quis in hoc imperio ditionem sexaginta vel septuaginta stadiorum, uti etiam quæ minor sit quinquaginta scilicet vel sexaginta stadiorum, quæ tamen non sit regnum?

§. 3. Sed enim (inquit hîc rursus senior) tertio discipulo *che* huic certè, nullumne fuerit in votis Regnum? Respondet *Confucius*: Nec ipse vacat dominandi cupiditate: Nam parentales principum majorum aulæ, rituſque funebres; item comitia illa extraordinaria, vel generalia, si non sint res propriæ Regulorum, ad quos tandem spectant res illæ? Quod autem optare se diceret agere tali loco & tempore inferioris ordinis administrum, suspecta mihi oratio est; Etenim *che* vir talis ac tantus, & ad maxima quæque natus, uti pro-

bè nosti, si fuerit parvus, si aliquando fungatur munere ministri tam vulgaris, uti visus fuit expetere, ecquis audebit, aut valebit esse magnus aut Princeps aut Regulus in adeo augustis seu ritibus, seu comitiis: quis sustineat illi se præponere, aut etiam assistere ad ipsius latus?

p. 2. *Yen-yven* consulit Magistrum de cordis innocentiâ & perfectione nulli non mortalium inditâ cælitùs; modumque exquirit illius recuperandæ. *Confucius* respondit: Vincere seipsum, atque ita redire ad primævum illud temperamentum naturæ rationalis, hoc est obtinuisse cordis innocentiam & perfectionem. Mortales universi vel unico die si vincerent seipsos & redirent ad temperamentum illud; tunc orbis universus rediret ad innocentiam nativam & perfectionem. Verumtamen ut quis operam det recuperandæ isti perfectioni; hoc & oritur & dependet ab ipsomet homine. Quomodo autem dependeat vel oriatur ab aliis hominibus?

f. 11. p. 1. *Yen-yven* ait; Liceat mihi denuò sciscitari abs te Magister ipsum quasi elenchum, seu seriem victoriarum suiipsius. *Confucius* respondit; Contra rationem ne quid cernito, contra rationem ne quid audito, contra rationem ne quid effator, contra rationem ne quem animi corporisve motum suscipito. *Yen-yven* his auditis, alacriter respondet: Mihi quamvis haud perspicaci, liceat tamen pro viribus opere ipso explere hæc tua documenta.

f. 12. p. 1. §. 1. Discipulus *chum-cum* similiter Magistrum consulit de cordis perfectione jam memorata. *Confucius* tria proponens media illius obtinendæ sita in attentione sui, observantiâ aliorum, & charitate, sic respondet: Sic egredere tuâ domo, tam præsens tibi, tamque attentus ad omnia, atque si visum eas magnum quemdam honoratumque hospitem. Sic impera populo, sic ei indicito opera publica, ac si offerres magnum sacrificium ritè peragendum: Reverenter, inquam, subditos tuos tracta. Denique tibi ipsi quod non vis fieri, vide ne conferas in alios: Hoc pacto sive verseris in regno publicus administer, non erit qui te oderit, aut de te conqueratur: sive verseris domi, è domesticis haud quisquam erit apud quem vel odio vel invidiâ labores. *chum cum* his auditis respondet: mihi quamvis haud perspicaci fas sit tamen exequi hæc tua documenta.

p. 2. §. 1. Alius è discipulis, cui *Su ma nieu* nomen, eandem quam duo priores quæstionem instituit de cordis perfectione.

§. 2. *Confucius*, ut hic medeatur ægritudini hominis, nimium loquacis, sic respondet: qui innocens ac perfectus corde est, seu nativam cordis habet rectitudinem, hujus verba cum tardiloquâ moderatione linguæ proferuntur.

§. 3. Num igitur (inquit) is cujus verba cum difficili illa mo-

deratione ac tarditate proferuntur, hoc ipso mox dicetur corde perfectus? *Confucius* respondet: Rectè agere arduum est ac difficile: loqui ergo rectè quis poterit sine tardiloquâ illâ linguæ moderatione? quasi diceret: Ut rectè loquaris, rectè prius agas necesse est: ad hoc autem necessaria est cordis custodia: Sed hæc rursus est difficultatis plenissima: Loqui ergò rectè, non est tam facile, quàm tu videris existimare.

f. 13. p. 1. §. 1. Idem *Su ma nieu* percontatus est de viro probo. *Confucius* respondet: Vir probus nec tristatur, nec timet, quemadmodum tu facis, qui propter fratres rebelles ac transfugas, te conficis immodico metu ac mœrore.

§. 2. Nunc igitur, inquit, qui nec tristetur nec timeat, hoc ipso dicetur vir probus? *Confucius* respondet: Interiora animi discutiens severo examine, nec inveniens tamen quidpiam vel erroris vel culpæ cujus eum pœniteat pudeatve, sic prorsus, ut nihil egerit rerum quod non vulgari possit inter homines, nullam volverit animo cogitationem, cujus nolit conscium esse cœlum (*Vu yo nien pu co yu tien chi*) ejusmodi vir, inquam, quorsum obsecro tristetur? Quorsum timeat?

p. 2. §. 1. Idem *Su ma nieu* cum mœreret nihilominus, & angeretur fratrum causâ, quos proxime jam perituros esse præsagiebat, miserum me! inquit, hominum plerique habent fratres majores & minores natu, & ego unus (uti malè suspicor) jam nunc illos non habeo.

§. 2. *çu hia* condiscipulus mœrentem solaturus ait: Ego audivi quandoque magistrum meum, cum diceret,

§. 3. Mors & vita habent inviolabilem quandam à cœlo legem. Opes item & honores in arbitrio sunt & potestate cœli; atque adeò neque hæc neque illa arbitrii sunt nostri.

§. 4. Quocirca verus Philosophus unius cœli arbitrio acquiescens unam rem agit, nimirum attendit sibi perficiendo, & nihil amittit negligitve quod in hunc finem usui esse possit. Cum aliis verò cujuscumque sint ætatis & ordinis, hominibus, observantiam benevolentiamque exercet. Verumtamen sic ut suis temperata sint ritibus officiisque omnia. Porrò qui de se deque aliis sic mereatur; ei quotquot existunt homines quatuor maria intra, id est, in orbe universo, omnes sunt majores natu fratres vel minores ex uno quasi sinu ejusdem matris effusi. Philosophus ergò quorsum angatur animo propterea quod nullos habeat fratres?

f. 14. p. 1. §. 1. *çu cham* Magister consulit de perspicacitate, quisnam illâ præditus esse censendus sit. *Confucius* respondet: Instar aquæ tacitè leniterque fluentis instillatas, seu quasi per cuniculos suos insidiosè subrepentes obtrectationes de corporaliter susceptis injuriis,

accusationes, non audire, nec illico credere. Hæc censeri potest & vocari perspicacitas, nec amplius requiritur. Iterùm dico: Subdolis illis ac virus suum blandè instillantibus obtrectationibus, ad commiserationem item denique movendam artificiosè compositis de manifestè accepto quodam damno accusationibus, nonnisi admodùm lentè, consideratèque aures ac fidem præbens, verè potest dici res quamvis abditas ac remotas habere tamen perspectas inusitatâ vixque scrutabili quadam perspicacia. Nec aliud hîc opus est.

Colaus ubi locum hunc copiosa paraphrasi declaravit, concludit denique documentum istud viro Principi vel maximè debere esse cordi. Cum is enim suis untus oculis auribusque attingere debeat ditionis suæ quamvis amplissimæ res omnes, Si fortè vel aures habeat nimis faciles patulasque vel oculos parùm perspicaces; periculum fore, ne malevolorum & invicem invidentium mendaciis calumniisque, velut aquis occultis, & insidiatricibus oppleantur & hebescant sensus supremi capitis, breviqne torrens ac illuvies insperata calamitatum totius Regni corpus obruat ac pessumdet.

§. 2. *çu-cum* Magistrum consulit de rectâ ratione gubernandi. *Confucius* respondet: Sit affatim annonæ tuis subditis. Sit affatim militum, rerumque necessariarum ad usus bellicos, in populo denique vigeat fides quæ respondeat fidei beneficentiæque ipsiusmet Principis.

p. 2 §. 1. Ad hæc *çu cum* probè quidem rem intellexi, inquit; sed nova mihi dubitatio suboritur. Quid si omnino non possit aliter fieri quin dimitteretur hîc unum ex hisce tribus ecquòd primo loco dimitteres? *Confucius* respondit: Dimitterem milites. Armabit scilicet inermem turbam, sua cujusque fides erga Principem, mutuusque amor & concordia præstabit invictos.

§. 2. *çu-cum* denuò quærit: Quid si omnino non posset aliter fieri quin hîc quoque demeretur aliquid; ex his duobus, victu scilicet ac fide, utrum prius patereris tolli? *Confucius* respondet: Tolli paterer seu dimitterem victum. Quippe ab omni ævo omnes omnino sumus mortales. Malebat igitur *Confucius* subditos cum fide mori quàm hujus expertes, à suâ hominum conditione discedere. Certè ubi populus expers est mutuæ fidei, adeò non erigitur, aut coalescit in Rempublicam, ut contrà eum interire necesse sit.

f. 15. p. 1. §. 1. Regni *Guei* Præfectus *Kie çu chim*, *Confucii* discipulum *çu-cum* alloquens; cerimoniarum, inquit, nullus est finis. At certè sapiens nativam & ingenuam simplicitatem & sinceritatem habeat, & hæc sufficiat. Quid illa tam operosa, rituum morumque elegantia ad rem facit?

§. 2. Ad hæc *çu-cum*, ô quam, inquit, deplorandus est tuus ille sermo judiciumque de viro sapiente! Sermo quidem talis, ubi semel

semel temerè prolapsus est ab ore, etiam trahentibus quatuor equis, non tamen redibit ad linguam, seu jam est irrevocabilis.

§. 3. Certè exterior illa gravitas & compositio necessariò comitatur nativæ simplicitatis synceritatem, & hæc vicissim comitatur illam: Alioquin quod erit discrimen Principis à subdito, sapientis à stulto; uti tigridis & pantheræ pellis suis pilis nudata prorsus est sicut canina aut ovina pellis item nudata suis pilis. Pili enim quamvis videantur esse superfluum quid & contemptibile; reverà tamen pellium discrimen hîc faciunt.

§. 4. *Ngai-cum* duodecimus Regni *Lu* Regulus quæsivit à *Confucii* discipulo *Yeu-jo* dicens: Anni steriles sunt & quibus fame laboratur, ad usus autem meos, non suppetunt sumptus necessarii: quid remedii?

§. 5. *Yeu jo* tacitè arguens Principis exactiones respondit: Cur non exigis decimas, seu unum de decem à tuis subditis? Nam hæc familiæ quidem nunc imperantis est regula.

p. 2. §. 1. Respondet Princeps: Duo de decem mihi adhuc non sufficiunt; quorsum igitur istæ, quas inculcas, decimæ?

§. 2. Respondit iterum *Yeu jo*: quando subditis res abundat; Principi cuinam pariter non abundet? quando verò subditis non abundat; Principi cuinam tunc abundet?

§. 3. *çu-cham* consulit Magistrum quomodo quis in dies accumulet virtutem virtute, & discernat perturbationes animi? *Confucius* respondet: Statuere fundamentum in synceritate ac fidelitate ipsiusmet animi, & in verbis actionibusque omnibus veracem esse, sine fuco & simulatione; in rebus omnibus semper convertere se ad id quod rationi maximè est consentaneum, hoc est accumulare virtutes.

§. 16. p. 1. §. 1. Jam verò ut ostendat animi perturbationem, nihil ferè esse aliud, quàm velle aliis ea, quæ non sunt arbitrii sui vel potestatis, vel quæ sunt inter se pugnantia sic ait: Amando quempiam, optare eum vivere; odio habendo quempiam, optare eum mori: Imò etiam optatâ modò ipsius vitâ, mox rursus optare eundem mori, cum jus vitæ necisque sit penes cœlum (idemque est de motibus aliis varii & inconstantis animi) hoc ipsum est obnubilato perturbatoque esse animo.

§. 2. Regni *çi* Regulus *Kim-cum* percontatus est modum feliciter gubernandi à *Confucio*.

§. 3. *Confucius* per brevi sed perapposito responso multa complectens, sic respondit: Rex sit Rex; subditus sit subditus; pater sit pater, filius sit filius.

§. 12. Applaudens Regulus, ô, inquit, quàm laudo & approbo: verè sic res habet: Etenim si Rex non sit Rex nisi solo nomine; subditus similiter si non sit subditus; pater non sit pa-

ter; filius non sit filius; quia nimirum non agant quæ sunt sui muneris & conditionis; jam lex omnis & ordo rerum; quin & usus ipse rerum pereat necesse est. Quamvis itaque sit mihi ex. gr. census amplissimus & annonæ vis maxima, ego num potero tunc illa frui? quasi dicat: Improborum licentia, summaque perturbatio rerum omnium ne me quidem, qui tamen sum Dominus frui sinet. Præsaga vox fuit: nam non diu post proditorum insidiis miserabiliter Regulus occidit.

§. 2. *Confucius* discipulum *çu-lu* collaudans apud suos, ait: qui dimidio, ut sic loquar, verbo possit decidere lites, is nonne est discipulus meus *Yeu*?

§. 3. Ad laudem hanc addentes aliam condiscipuli, narrabant, quod idem *çu-lu* ne per spatium quidem noctis unius relinquebat promissa & datam fidem, quin accuratè præstaret.

f. 17. p. 1. §. 1. Hâc etiam occasione commemorant discipuli id quod sæpenumerò *Confucius* dicebat: in audiendis litigantibus ego sum sicut alii passim homines; sed oporteret imprimis hoc efficere ut non essent litigantes, aut lites.

§. 2. *çu chem* Consulit Magistrum de modo gubernandi. *Confucius* respondet: Ante omnia meditare quæ tui sunt officii, idque meditare constanter & sine inertiâ. Deinde tracta negotia publica & aliis consule eâdem cum veritate & fide, quâ tibi ipsi, profectuique tuo consuluisti.

p. 2. §. 1. *Confucius* ait: Vir probus ac sapiens perficit verbo & opere aliorum hominum virtutes ac laudes, juvando scilicet imbecilles, timidos ac jacentes erigendo, subdendo calcaria currentibus; nequaquam verò tuetur aut confirmat perditorum hominum licentiam & improbitatem; stulti verò improbique viam tenent planè contrariam huic viæ. Videat ergò vir Princeps (inquit Colaus) sibi ministros adsciscat: Tales sunt, quos veluti patronos ac duces ultrò sectetur omnis colluvies sceleratorum; an tales, quibuscum virtus omnis & innocentia conjungi gaudeat.

§. 2. Regni *Lu* Præfectus *Ki cam çu* percontatus est modum rectè gubernandi à *Confucio*. *Confucius* ut ad officium frugemque revocet, respondet: Regere, dirigere est, seu, rectificare: Tu ergò si præeas exemplo ad id omne quod rectum est ac honestum: ecquis tuorum audebit non esse rectus?

§. 3. Idem *Ki cam çu* cum angeretur animo propter latrones, consulebat *Confucium*. *Confucius* respondit: Si quidem tu ipse non sis cupidus, quamvis ultrò provoces, & præmiis allectes subditos tuos ad latrocinandum, non tamen latrocinabuntur. Latrocinii quippe magistra, cupiditas est: Hujus autem cupiditatis incentrix & magistra altera, cupiditas avaritiaque magistratuum: quos si incor-

ruptos viderint subditi; vel solo pudore prohibiti à furtis abstinebunt.

f. 18. p. 1. §. 1. Idem rursus *Ki cam çu* exquirens modum rectè gubernandi à *Confucio*, sic ait: Ego si interficiam passim improbos & exleges, ut ita commodiùs accersam promoveamque probos & observatores legum; quid videtur? *Confucius* respondit; Tu si quidem gubernas, ut par est; quorsum utare suppliciis tam crebrò: Tu expete tantummodò quæ recta sunt & honesta, consteque hoc omnibus; & statim populus exemplo tuo probus evadet. Gubernatoris virtus quotiescumque rebus factisque palàm se facit, ventus est, seu venti instar: Subditorum verò, infimæque plebis virtus, herba est: Herbis si superveniat ventus; proculdubio hæ sese submittent, & obsecundabunt vento quocunque faciles impelli.

§. 2. Discipulus *çu cham*, qui magis laborabat, ut audiret, quam ut esset bonus ac sapiens, instituit quæstionem hujusmodi. Literatus quispiam gubernator quomodo hic poterit dici vir clarus & illustris.

§. 3. *Confucius*, ut ulcus detegat, quærit ipse vicissim: Quidnam, id est, quod tu vocas clarum & illustrem esse?

§. 4. *çu cham* respondet: Aliud nihil est, quàm si quis versetur in regno quopiam administrator omnino audire benè & sermonibus omnium celebrari. Eundem, si versetur domi suæ, procul dubio audire benè & celebrari.

§. 5. *Confucius* ad hæc ait: Quod ipse dicis hoc quidem est audire benè & illustrem dici, at non est, clarum esse & illustrem. Diversa namque sunt dici & esse.

p. 2. §. 1. Ego itaque sic sentio, quòd is qui clarus & illustris est, de re nulla minùs laborat, quam ut vulgò talis habeatur. Solidus, syncerus & rectus est: Et gaudet officio & æquitate; prudenter expendit sermones tum suos tum alienos; quin etiam diligenter observat os ipsum oculosque, priusquam certi quid de quoquam statuas. Post hæc autem assiduè meditatur, quo maximè modo cedat ac submittat sese aliis. Hujusmodi sanè vir sive versetur in Regno Principis administer, procul dubio perillustris erit: sive versetur domi suæ pater familias, procul dubio perillustris erit.

§. 2. Jam verò qui benè audiunt, & populari tantùm famâ, clari sunt, hi modestiâ quâdam & gravitate exteriori, studiosè captant virtutem, virtutis inquam nomen ac famam; cùm interim rebus ipsis factisque virtuti adversentur. Iidem rursus, tam placidè tamque fidenter persistunt in virtute, umbrâ inquam illâ simulatæ virtutis, ut jam non sit ulla dubitatio, quin talis reverà sit, qualem se men-

titur esse. Adeoque sive is versetur in Regno, haud dubiè celebratur à Principe, sive versetur domi, haud dubiè quoque celebratur ab suis. At profectò celebritatem hujusmodi execratur quisquis est probus ac sapiens.

f. 19. p. 11. §. 1. *Fan chi* discipulus dum sequitur *Confucium* deambulantem in luci *vu yu* dicti inferiori parte, sic ait: ausim ego exquirere abs te, Magister, ac discere tria imprimis necessaria cuivis homini, qui velit benè beateque vivere. Primum est, accessionibus quotidianis accumulare virtutes. Alterum est emendare vitia & errores. Tertium denique, solerter discernere & penitùs habere perspectas animorum nebulas ac perturbationes, ut eas in ipso statim ortu dispellam.

§. 2. Confucius exclamans ait: O laude dignam quæstionem!

§. 3. Et illico respondens; Satagere potissimùm, inquit, circa studium ipsum virtutum accumulandarum & non magni facere seu in aliquo habere numero id quod jam nunc est accumulatum virtutis ac meriti, quodque olim speratur præmii & utilitatis; Hoc nonne est accumulare virtutes? Quasi dicat, inquit Interpres, quisquis in studio studioque virtutis hoc assidue reputat apud animum suum, longam esse arduamque virtutis viam, eâque impulsus cogitatione tam strenuè progreditur, ac si nihil dum viæ confecisset: quin & reipsa de partis jam opibus & viæ spatio, quod à tergo relictum est, nunquam cogitat prudens; sed illa quasi negligit, ac postremo habet loco, ne scilicet hujusmodi cogitatio suffuretur ipsi quodammodo partas opes, dum currentem ad otium & quietem pellicit: quisquis inquam, ejusmodi prudentiâ solertiâque fuerit; fierine potest, ut non proficiat in dies, & per incrementa ipsummet fallentia ingentes coacervet virtutis ac sapientiæ thesauros? Rursus, ait *Confucius*, indicere bellum sibi, oppugnare diu noctuque, suaipsius vitia & errata; nequaquam verò temerè & otiosè in mores inquirere aliorum, nec reprehendere & oppugnare aliorum vitia & errata, suorumipsius immemorem: Hoc nonne est revera secum habitantem mederi sibi, & emendare vitia & errores? Ad extremum, per brevis vel unius matutini temporis iracundia non mox coërcita, sæpe possumdat suam ipsius personam, sic ut pertingat ad ipsius parentes quoque & consanguineos, totamque familiam. At qui hæc nonne est cœci perturbatique animi affectio?

§. 4. Idem *Fan chi* percontatus est de *Gin* virtute, seu verius de pietate. *Confucius* respondit: Diligere homines sic ut amplo quodam charitatis sinu omnes complectaris & foveas. Similiter percontatus est de prudentia. *Confucius* respondet: Nosse homines.

§. 5. Bonus *Fan chi* nondum percipit Magistri responsum. Etenim si amandi sunt omnes, cur opus est eos nosse, ut probi ab improbis

improbis, amore digni ab indignis discernantur.

§. 3. Dubitanti discipulo *Confucius* sic ait : Quisquis evehit admovetque gerendæ Reipublicæ rectos ac probos, negligit autem omnes perversos & improbos, is poterit efficere ut improbi quoque evadant recti ac probi.

§. 4. *Fan chi* necdum probè percepta Magistri sui ratiocinatione tam laconicâ, recessit : Nec multò pòst visens condiscipulum suum *çu hia*; scire te volo, inquit, quod nuper ego adfui coram Magistro nostro & consului ipsum de prudentiâ. Magister autem respondit : Evehe probos, neglige omnes improbos, sic poteris efficere ut improbi evadant probi : Quid hoc, obsecro significat?

f. 20. p. 1. §. 1. *çu hia*, re protinùs intellectâ, exclamans ait : O uberem & locupletem sententiam Magistri nostri ! Hoc tibi ego duorum Imperatorum exemplo declarabo.

§. 2. *Xun* olim cùm obtineret Imperium, maturâ usus deliberatione tandem selegit sibi unum ex omnibus & evexit ad munus supremi adjutoris sui, sapientem scilicet *cao yao* : quâ re vulgatâ per Imperium, improbus quisque seu expers virtutis *tam* procul fuit semotus, ut evanuisse crederes improbitatem. Similiter *Tam* Imperator, postquam obtinuit Imperium, selegit ex omnibus & promovit ad supremam dignitatem, sapientem *y yn*, & ecce improbus quisque vel ad frugem rediit, vel tam procul abscessit, ac si vivere desiisset.

Cao yao *oriundus fuisse creditur ex stirpe* Chuen hio *tertii Imperatoris Monarchiæ Sinicæ. Hujus deinde posteri donati dynastiâ* Leâo *eandem per decem ferè sæcula administrarunt donec à Regulo* çu *fuit extincta. Extant illustria tanti viri documenta de modo rectè gubernandi, in libro 2.* Xu kim *qui inscribitur* Cao yao meu, *id est,* Cao yao *consultationes. Scriptæ sunt per modum dialogi ipsum inter & Imperatorem, opus vel propter unam antiquitatem (quippe bis mille & amplius annorum ante Christum) prælis dignum Europæis. Inter cætera quod attinet ad rectam populi administrationem docet quo pacto is, qui in terris imperat, fingere & accommodare se debeat ad subditorum suorum desideria & vota, & talis esse, qualem subditorum merita vel demerita esse postulant, proposito sibi supremi Cæli exemplo & normâ; tametsi hoc enim, seu potiùs hujus Imperator nihil non audiat atque intelligat (uti litteraliter explicat* Cham *Colaus) utpote à quo omnis mens, & ratio, & consilium nobis indita sunt; singulis item, quod æquum est, pro suis cujusque meritis rependat; hos ipsos tamen Providentiæ suæ effectus sic exerit, ut à communibus mortalium votis atque promeritis regimen suum ordiatur quodammodo, seseque ita attemperet ut vox & mens populi sit vox & mens ipsius cæli seu cæli Domini. Quo fit, ut quod communi naturæ ad bonum instinctu universus populus audit, videt, ac percipit; quod item amat &*

odit; cœlum itidem hoc ipsum audiat, videat, percipiat, amet, & oderit: Sive ut (alio loco dicitur) cœlum videat ex populi oculis, audiat ex populi auribus, adeoque à populo ipso prævè moveatur, & quodammodò determinetur, ut debita cujusque meritis præmia, vel supplicia decernat. Et hinc etiam non semel hoc libro Xu kim *dicitur* Xam ti pu cham *hoc est cœli supremus Imperator non determinat, sed si improbos viderit castigat, si probos beat, unde, uti alibi, quod cœlum immittat calamitates aut felicitates; pendet à virtute. Et quidem quas cœlum infert calamitates potest quis adhuc effugere, at quas per sua scelera sibi quis fabricat non potest æquè facilè evadere, nisi videlicet sese emendet. Quod si populus non obsequatur virtuti nec subjiciat se scelerum correctioni, cœlum utique per sinistra portenta eum reverà monet movetque ut ad rectitudinem suam virtutemque revocetur.*

Alter sapientum Y yn *genus ducebat ab illustri Colao* Kie mo, *qui octingentis circiter ante hunc nepotem suum annis à consiliis fuerat primo Monarchiæ Imperatori* Hoam ti *nuncupato:* Y yn *ergò cùm turbatissima nactus esset tempora, latitabat prudens, & Agriculturæ operam dabat; quando eum Regulus* Tam *quinies invitatum frustra, tandem non sine amicâ vi assistere sibi coëgit & esse à consiliis. Nec multo post misit ad impium* Kie *primæ familiæ Imperatorem ultimum, non sine spe hominis ad sanam mentem revocandi: apud quem tamen cùm nihil is profecisset; re desperatâ, ad* Tam *Regulum est reversus, qui deinde evectus ad Imperium, primam à suâ dignitatem contulit sapienti, plurimùm usus ejusdem opera & consilio ad familiæ suæ* Xam *dictæ fundationem. Author idem fuit aurifodinas aperiendi, sublevando scilicet populo, quem sterilitas & fames per annos omnino septem quibus ipsis fortè & in Ægypto & (uti sacræ testantur paginæ) orbe universo tunc laboratum est, vehementer afflixerat. Imperatore* Tam *mortuo, cùm fortè* Tai kia *adolescens, qui avo suo nepos successerat, à curis negotiisque publicis abhorrens, desidiæ sese & oblectamentis juvenilibus cœpisset dedere; Colaus* Y yn *tantum mali oppressurus in semine, adolescentem in horto sepulchri patrii, ceu custodiâ domesticâ detentam, triennio toto (quod erat tempus paterno luctui destinatum) severâ ad modùm disciplina sic instituit, excoluitque pro eâ, quâ valebat, vicariâ potestate, ut inde prodiens, jam alius esset ab se, vinceretque ætatem suam prudentia & maturitate; & avitæ laudis æmulus imperium deinde per annos triginta sapienter admodùm gubernârit.*

Obiit Colaus Y yn *centenario major, anno 8.* Vo tim *Imperatoris, qui tertius fuit istius familiæ. Parentavit hic ei ritu Regio; & merito sanè, ut qui per annos tres administrarat olim Imperium tanto majori cum fide, quod vicaria cum potestate. Sepultus est media ferè leuca à sepulchro conditoris in Provinciâ* Ho nan. *Successit ei filius* Y pu, *qui &* hu tim, *& quatuor succedentium deinceps Principum Colaus fuit.*

Extant cedro digna viri præcepta ac monita in eodem libro Xu kiih *& primum quidem inscribitur* Y hiun, *id est, documenta ipsius* Y yn *quibus scilicet adolescentem necdum depravatum, ceu antidotis quibusdam vel armis præmunit. Secundum constat severiori quâdam oratione, quâ eandem, cum mutari jam cæpisset, paternâ cum authoritate castigat. Tertium scribitur jam respiscenti; quo etiam tempore, finito jam luctu triennali, mensis duodecimi die primo idem Colaus ei purpuram detulit ac diadema; lætumque è custodiâ sepulchrali ad aulam & avitum solium reduxit. Quarto denique capite hortatur ad tuendum parta, & cœptum virtutis iter animosè prosequendum. Denique est & alterum caput, quod* Ye te *inscribitur, acris ad unam potissimum virtutem, velut unicum regiminis fundamentum cohortatio. Fit interim crebra mentio in his omnibus providentiæ cœlestis, cui par sit morem gerere; & supremi cœlorum Imperatoris qui etiam nomine ipsius cœli frequenter venit, more Sinis usitatissimo. Quoniam vero hæc adeo antiqua sunt monumenta; gauderent, opinor, Europæi videre illa prælis suis excusa; atque hoc imprimis inde discere, naturæ legem ne extremis quidem terrarum finibus, cum veri Numinis notitia, defuisse. Viderent etiam non sine admiratione, quæ artes, & quæ præcepta regendi Imperii in una religione & virtute fundata, jam tum, annis, inquam, ante Christum 1750. in Sinâ viguerint.*

Juvat hic ex multis delibare unum alterumve monitum ad frugem redeunti jam Principi à fideli suo Y yn *administro datum, prout Interpres noster ethnicus cum aliis illud exponit.*

Regia persona, inquit, supra quidem habet augustum cœlum à quo respicitur, infra habet populum à quo item respicitur, ante & retro, à dextris & sinistris assistunt spiritus. Res sanè maximè perimescenda. Cœlum tametsi Regem uti filium habeat tamen an semper favebit, an aliquando adversabitur adimetque Imperium, nondum quidem determinavit, adeoque hîc non ducitur affectu aut propensione determinata. At vero si quidem Princeps noverit reverenter se gerere & obsequi cœlo, si sibi attendere, si in omni motu, actione, sermone, cogitatione ita semper se gerat, ac si cœlum Regem intneatur ipsique præsens assistat, adeoque ne unicam quidem cogitationem pravam admittere audeat, tum certè hujusmodi mens reverens & cogitatio penetrat ipsum cœlum, moxque cœlum amanter juvat, protegit, dilatatque à se delegatum Imperium. Populus item tametsi mentem & oculos in Regem suum semper habeat intentos, spesque omnes suas in eo collocatas, non tamen populi indoli usquequaque fidendum cum modo in bonam modo in sinistram partem flecti queat, adeoque ejusdem subjectio debita, non sit quid stabile & immutabile: Verum si Princeps pietate foveat & protegat populum, si filiorum instar amet nec patiatur vel unum vilem homuncionem & mulierculam qui non gaudeat regiâ beneficentiâ; tum sanè tam amplæ pietatis cor diffundetur in populum qui adeo venerabitur, redamabit, seseque ultro submittere gaudebit tam pio &

benigno Principi. Quæ cum ita sint, si quidem Rex in dignitate à cælo datâ constitutus vel unam cogitationem non rectam admittat, jam cælum Regem fastidiet & aversabitur; si vel unica res amiserit debitum ordinem, jam populus hoc ipso alienabitur: à cælo igitur collata dignitas quam periculosa est ac formidabilis! quamvis cum timore & tremore & cura assidua indies virtutem accumules, non est tamen quod tibi promittas felicis exitûs securitatem.

Sola itaque virtus sita in veneratione, pietate, veracitate & fide firmat regna & regimen: hanc si negligas, jam cæli indignationem, populi dissensionem, spirituum aversionem hoc ipso provocaveris.

Denique alio capite præmuniens Principem contra præsumptionem suspirans ait: *Quod 9. Imperii Provinciis domineris, reverà non est nisi à supremi cæli mandato. Sed augusto cælo, quod affectu non ducatur, difficulter credi potest aut confidi. Hujus ordinatio an stabilis an diuturna, an varianda an brevior sit futura, omnino incertum. Potest totius Imperii revolutio contingere, possunt initia esse florentissima, at deinde exitus miserandi: duntaxat igitur cælum attendit ad Principis virtutem cujusmodi sit. Revera si is domitis pravis affectibus constanter uni insistat virtuti sic ut nullo motu pravo ab ea ne ad momentum deflectat, hoc ipso stabilis & favens constabit cæli erga se favor & voluntas: si virtus deficiat privatis affectibus & illicitis desideriis animum ab ea distrahentibus, aut si sibi vim quidem inferat sed ad breve tempus vix perseverans, tum cæli voluntas consequenter eum à se repellet. Et quamvis cæli decretum seu voluntas incerta sit & nobis cognita, tamen hæc cæli cum homine reciproca relatio omnino non errat aut fallitur. : quare si vis, ô Princeps, conservatum diu Imperium, uni constanter vaca virtuti & sufficit.* Confirmat hæc deinde exemplis postremi Imperatoris *Kie* quem ob impietatem cœlum à se repudiaverat, & assumpti in Imperium avi *Chim tam*: de quo sic ait: *Ne existimes, ô Princeps! ex privato quodam affectu à cælo delatum Imperium, aut populi opem aut patrocinium ad eam rem Rege postulatum una: scilicet avi tui virtus fuit & pietas quæ commovit supremi (cæli) Imperatoris cor & voluntatem, totiusque populi sola ejus virtute attracti propensissima studia.*

p. 2. §. 1. *çu cum* Magistrum consulit de amicitiâ, *Confucius* respondit: Magnâ cum fide & benevolentiâ commoneto peccantem & comiter affabiliterque dirigito in viam, à quâ is aberravit: Quod si nihil efficere hîc potes; tum quidem tu desiste prudens ne alioquin importunitate tuâ ipse tibi sis dedecori.

§. 2. *çem çu Confucii* discipulus, aiebat: Sapientes per litterarum artiumque liberalium studia & exercitationes, sitas potissimum in exemplis ac institutis, monimentisque Priscorum sapientum, sibi conciliant & associant amicos; per ipsos verò amicos mutuò sese adjuvant ad omnem virtutem & perfectionem animi. Idcircò scilicet sa-

cet sapiens sic his & illis dat operam, ut non tam sectetur illas, quam per illas sectetur virtutem.

LIBRI TERTII

PARS SEPTIMA

Fol. 1. pag. 1. paragr. 1.

ÇU LU discipulus exquirit à Magistro suo modum gubernandi: *Confucius* respondit: Exemplis optimis virtutum fac præeas & præluceas subditis tuis; deinde per te ipse fac cures rem populi, ultroque venias in partem laboris publici.

§. 2. Discipulus Magistrum rogavit ut plura suggereret. *Confucius* mederi volens morbo discipuli, sic respondit: Non habeo quod addam; serventur ista duo, sed constanter, absit pigritia, tædium, lassitudo.

§. 3. Alius è discipulis *Chum cum* nomine, cùm esset sub *Ki xi* majori præfecto, minoris & ipse ditionis Præfectus; exquisivit item modum gubernandi. *Confucius* respondit: Primùm fac habeas minores præfectos, quorum operâ ministerioque res perficias. Dissimula prudens & condona minora peccata. Evehe ad honores publicos, & admove gerendæ Reipublicæ viros spectatæ virtutis ac sapientiæ: Sic enim tibi tuisque præclarè consules.

p. 2. §. 1. At enim, inquit, idem *Chum cum*, quomodo perspectas habebo sapientum hujuscemodi dotes, ut eos deindè eveham. Respondit *Confucius*: Primùm fac evehas ipse quos perspectos habueris, & unicum duntaxat, si tantùm unicum noveris. Ipse verò quos non habueris perspectos, num alii quoque ignorabunt illos, adeoque præteribunt ac negligent?

§. 2. *Lim cum* Regulo Regni *Lù* mortuo suffectus erat *Che* Princeps, avo nepos; patre interim profugo contra fas & æquum neglecto: Quin & armis deindè, cùm reditum pararet, prohibito. Inter hæc *Confucius* è Regno *çu* fortè rediit ad Regnum *Guei*, ubi per id tempus Magistratum gerebat discipulus *çu lu*; qui Magistrum alloquens sic ait: Regni *Guei* Princeps jamdudum tenetur desiderio tui, & cupidè expectat excepturus Magistrum ut fungâre Magistratu. Hoc ergo si contigerit, aveo scire, ecquidnam tu Magister facturus sis primo loco?

§. 3. *Confucius* respondit: Neutiquam violari debet lex & ordo, quo natura filium patri subjecit & adstrinxit. Jam Princeps tuus *Che*, quandoquidem neglecto patre patrioque jure, eum qui suus avus est, patrem vocet, quo scilicet speciosiori nomine possideat necdum sibi debitam ditionem: Ego ante omnia tam fœdæ perturbationi recti ordinis, læsæque pietati mederi conarer; adeoque omnino reformarem nomen ipsius.

f. 2. p. 1. §. 1. *çu lu* verba Magistri non satis maturè expendens, quasi illa hîc & nunc minùs ad rem facerent, parùm consideratè, estne, inquit, hoc ita, ut ais? Tu Magister, ut mihi quidem videris, abes hic longè à vero. Quorsum ista, quæso, tam supervacanea nominis reformatio, quando sunt alia longè majoris momenti quæ hoc statu rerum ac temporum potiùs videntur tractanda?

§. 2. *Confucius* tam præcipiti responso suboffensus, vah! inquit, quàm rudis & agrestis es, mi *yeu*! vir sapiens in iis quæ necdum probè percepit, certè hæsitantis instar est ac subdubitantis; nec temerè quod in mentem venit, effutit illicò.

§. 3. Audi nunc igitur quid paucis verbis significare voluerim: Si nomen ipsum Principis non sit rectum, nec ejusmodi, quod ei jure competat; adeoque si in ipsâ quasi fronte hominis resplendeat mendacium; tum profectò sermones ac mandata haudquaquam secundis auribus animisque excipientur. Quod si sermo Principis non excipiatur secundis auribus & animis; tum procul dubio publicæ res & negotia nequaquam perficientur.

§. 4. Quando autem res harent & non perficiuntur; tum vinculum illud societatis humanæ, officiorum scilicet ordo, mutuaque omnium concordia, haud vigebunt. Ordine illo & concordiâ non vigentibus; tum pœnæ ac supplicia non attingent scopum à legibus constitutum; Suppliciis hoc modo à legum scopo aberrantibus, tum populus infelix, incertus quid prosequatur aut fugiat, planè non habet, ubi tuto collocet pedes manusque. Porrò tot ac tantorum malorum caput & radix, est neglecta filii pietas, falso illo & jure & nomine personata.

§. 5. Idcirco vir Princeps quod attinet ad nomen ipsius & compellationem procul dubio debet esse ejusmodi quod possit sine rubore ejusdem vel offendiculo subditorum proferri, sic ut vocetur filius, si filius est; nepos si nepos. Jam ubi sic proferetur nomen, feliciter procul dubio & sine repugnantiâ subditorum poterunt res & negotia totius Regni procedere. Quocirca vir Princeps in suis verbis nihil habeat vel admittat, quod inane sit vel temerarium; & hoc quidem sufficiat, ut intelligas ipse, quanti momenti sit ea, quam initio exigebam, nominis commutatio.

p. 2. § 1. Discipulus *Fan chi*, pertæsus, opinor, corruptos mores

ætatis suæ, rogavit doceri Agriculturam. *Confucius* respondit: Ego non sum instar veterani agricolæ peritus artis rusticæ: peritos consulito. Rursus itaque rogavit doceri rem hortensem. *Confucius* respondit: Ego non sum instar senioris hortulani; tu adi, & consule quorum id munus est.

§. 2. *Fan chi* spe suâ frustratus egrediebatur; egredientem *Confucius* sic arguens, ut simul tamen hortaretur ad susceptum virtutis sapientiæque studium strenuè prosequendum; ô te, inquit, plebeium & humilis animi virum! mi *Fan siu*!

§. 3. Qui superiorem in Republicâ locum obtinent, si quidem gaudeant exteriori simul & interiori compositione; tùm quidem subditorum nullus erit, qui audeat non eos colere ac vereri. Rursus iidem superiores si gaudeant æquitate & justitiâ; tum subditorum nullus erit, qui audeat eisdem non omnibus in rebus morem gerere. Denique superiores si gaudeant fide, verbis factisque præstitâ, tum subditorum nullus erit, qui audeat non exerere vicissim synceram promptamque voluntatem. Hæc autem si ita se habuerint; tum quatuor regionum, id est, orbis universi, populi, fasciis involutos gestabunt humeris infantulos suos, & ultrò properantes turmatim adventabunt; adeoque nec agris cultores deerunt, nec cultoribus alimenta. Quorsum igitur applices animum agriculturæ, qui tuum, aliorumque animum potes excolere; & sic vel maximè consulere ipsi etiam agriculturæ?

Ne quis fortè existimaret à Philosopho Sinico contemni agriculturam, quam nemo Philosophorum etiam Sinensium non magni fecit; conatur hîc Colaus Interpres noster Confucii *responsum sic exponere, ut etiam conciliare non dubitet cum exhortatione illâ, quâ olim* Cheu cum *Princeps agriculturam Imperatori* Chim vam, *cujus erat patruus ac tutor, studiose commendaret, uti refertur in* Xu kim *libro 8. sub titulo* Vu ye, *hoc est,* non vacandum otio: *Imprimis autem docet, quanti Reges facere debeant, & quam sollicitè tueri ac fovere agriculturam tanquam basim Imperii, & tanquam elementum quoddam populi, quo is haud secùs ac piscis aquâ suâ conservetur. Affert in hunc finem exempla priscorum Regum* Xun, yu, ven & Vu vam, *patris, fratrisque sui; qui cum Philosophiæ studio, studium agriculturæ quondam conjunxerant. Quid? quod etiam ab Imperiali dignitate non alienum id esse Reges censuerunt, qui manus Regias sive admoventes partem agri quotannis per se ipsi arabant, ex quo deinde liba & vinum in sacrificia, cœlorum Imperatori offerenda petebantur, uti* Memcius *testatur citatus libros officiorum. Quamquam alia quoque tam tari exempli fuit causa, ut scilicet usu ipso discerent Principes duros colonorum suorum miserari labores: Quorum memoriam ut identidem refricaret Imperatorum unus; aratrum quoque jusserat in Palatio suspendi. Illam quoque præter has affert causam exercitandæ ab Regibus agri-*

culture memoratus Cheu cum, *ut modestiæ imprimis ac submissionis nobilissimum fructum ex illâ peterent : nec deliciis sese otiove dederent, ac luxui, quæ Reipublicæ solent esse perniciosa.*

f. 3. p. 1. *Confucius* ait : Operoso labore ac studio perdidicerit quispiam Odarum ter centum capita : Collatum fuerit eidem Reipublicæ gubernandæ munus, nec is tamen res muneris sui perspectas habeat, sic ut si legatus eat ad quatuor partes Imperii, non possit marte suo & ex tempore apta dare responsa ad quæsita Regulorum, ad quos mittitur ; huic homini quamvis multa multo studio comparata, eccui tandem usui erunt ? Inutilis lucubratio est, quam rebus nequeas factisque proferre.

p. 2. §. 1. *Confucius* ait : Ipsa persona gubernantis alios si recta sit, & ad omnem virtutem composita, etiamsi nullis utatur monitis vel adhortationibus, ultrò tamen ad omnem virtutem ac laudem convertent se subditi, exemplo scilicet gubernatoris pertracti : è contrario, ipsa persona si non sit recta, licet assiduis stimulis & adhortationibus utatur ; tamen non sequentur subditi. Allicient enim verba ; sed potentiùs avertent facta.

§. 2. *Cheu cum* & *Cam xo* filiis *Ven-vam* Regis, suæ singulis obtigerant dynastiæ : Huic Regni *Guei*, illi *Lu* : quas cum præclaris legibus & exemplis stabilivissent ; successorum deinde, temporumque vitio plurimùm sanè desciverant à primis illis institutis. Quod deplorans *Confucius*, duorum, inquit, Regnorum *Lu* & *Guei* administratio *Germana* est, sibique invicem perquàm similis, olim scilicet & institutis optimis & altâ pace : At nunc vitiis ac perturbationibus *Germana* item est.

§. 3. *Confucius* dicebat de Regni *Guei* Præfecto *Cum çu kin* dicto, qui sortè suâ, vivebat contentus : benè placidèque privatus degebat domi. Ubi primùm quid habebat, protinùs secum ipse tacitus aiebat : Sat rei cumulatum est. Deinde verò cùm perparum illi esset, nihilominùs dicebat : Satis rerum mihi præstò est. At ubi copia rerum denuo illi adfuit ; protinùs dicebat : Sat rerum est mihi etiam ad splendorem.

f. 4. p. 1. §. 1. *Confucius* curru petebat Regnum *Guei* : *Gen yeu* ejusdem discipulus agebat aurigam.

§. 2. Loci incolæ cùm fortè confluerent turmatim *Confucii* spectandi gratiâ ; exclamans *Confucius*, proh ! inquit, quanta hîc populi frequentia est !

§. 3. Ad eam vocem *Gen-yeu*, Magister, inquit, quandoquidem tanta sit frequentia hominum, ecquid præterea ei adderes ? Respondit : adderem copiam rerum seu opulentiam moderatam.

§. 4. Ait rursum discipulus : Ubi jam rerum copia adesset, quid adderes præterea ? Respondet : Rectam institutionem.

§. 5.

§. 5. *Confucius* aiebat: Si quis esset à dynastis ac Regulis, qui uteretur me, operâ meâ, & consilio, annua periodo mensium nec amplius jam perfecissem aliquid, jamque pretium aliquod appareret operæ meæ, gravioribus saltem vitiis sublatis. Tribus verò post annis, uti sperare ausim, jam foret res perfecta.

p. 2. §. 1. *Confucius* ætatis priscæ citans proverbium ait: Instructus probitate Princeps & administrans Regnum per se suique similes filios ac nepotes spatio centum annorum equidem poterit convertere & ad frugem reducere quamvis improbos & immanes; quin & abolere pœnas ipsas mortisque supplicia; amore scilicet, & non terrore, continente in officio subditos. O quam vera sunt hæc majorum nostrorum verba!

§. 2. *Confucius* ait: Quod si vero deest qui regat instructus rarâ virtute sapientiâque Princeps; tum planè fiet ut, ubi effluxerit triginta annorum spatium, jam deinde nativa virtus nulli non indita feliciter efflorescat.

f. 5. p. 1. §. 1. *Confucius* ait: Si quis rectè instituat suam ipsius personam, in suscipiendo Magistratu ecquid habebit negotii vel difficultatis? Contrà, si non possit rectè instituere suam ipsius personam; quo pacto tandem reget instituetque alios?

§. 2. *Gen-çu* consiliarius Præfecti *Ki-xi* hominis turbulenti, fortè veniebat ab aula ejusdem Præfecti. *Confucius* ait: Quî tam serò? Respondet: Fuerunt negotia Regni publica. *Confucius*, verius, inquit, opinor, privata ipsius Præfecti negotia te tam diu detinuerunt. Si quidem enim tractata fuisset publica res, licet hoc loco & tempore non ego adhibear ad gerendam Rempublicam; pro recepto tamen more, quo Magistratu jam defuncti identidem consuluntur, ego procul dubio ea de re pariter consultus aliquid inaudivissem. Tacitè suggillatur Præfectus, & qui huic à consiliis erat, discipulus, quod aliquid clam contra Regem molirentur.

§. 3. Regni *Lu* Regulus undecimus *Tim-cum* dictus percontatur unicum verbum, seu axioma brevissimum, quo possit erigi, seu efflorescere Regnum aliquod. Daturne hoc? inquit. *Confucius* respondit: Verbo nequit hujusmodi res sanè magna & operosa ita facilè determinari: conabor tamen brevibus complecti multa.

p. 2. §. 1. Vulgi proverbio dicitur: Agere Regem difficile est, agere Ministrum Regis non est facile.

§. 2. Atqui si Rex probè intelligat quod agere Regem reverà difficile sit; eam procul dubio afferet curam & vigilantiam, quâ & cœli & suorum gratiam & amorem mereatur & conservet. Nonne hîc igitur utcumque determinatur in unico veluti verbo, id quo erigatur & efflorescat Regnum?

§. 3. Idem Regulus rursum ait: Unicum verbum quo pessumde-

tur Regnum, seu, quo explicetur id quod Regnis solet esse exitio, daturne etiam illud? *Confucius* respondet: Verbo item, nequit, ejusmodi res, quæ summa malorum est, ita facilè determinari. Vulgi proverbio dicitur: Ego non gaudeo, nec opto agere Regem: quod si agam, tum certè vehementer opto obtemperari meis illis verbis edictisque Regiis, atque neminem omnium mihi adversari.

§. 4. Subsumit *Confucius*: Si ergo hæc imperantis verba bona sint? & ad æquitatem, publicamque utilitatem accommodata, & quibus adeò nemo sit omnium qui adversetur; nonne reverà præclarum hoc erit, raræque felicitatis? Contrà verò, si verba imperantis non bona sint, nec cum æquitate & utilitate subditorum conjuncta, & tamen rursus nemo sit omnium qui adversetur, qui arguat malè imperantem Principem; nonne jam determinatum habebis unico propè verbo id quod evertat Regnum; seu, quo contineatur exitium regni. Etenim sicut malis non adversari, pernicies Regnorum est; sic non adversari bonis, eorumdem est quies & firmamentum.

f. 6. p. 1. §. 1. In Regno *çu* oppidi *Xe* Præfectus exquisivit modum rectè gubernandi.

§. 2. *Confucius* respondit: Sic rege ut qui propè sunt, gaudeant; qui longiùs absunt, ultrò adveniant.

§. 3. *çu hia* discipulus, cum esset ditioni *Kiu fu* in Regno *Lu* sitæ Præfectus; consuluit Magistrum de modo rectè gubernandi. *Confucius* ait: duæ cautiones tibi necessariæ sunt: prima, ne velis esse præproperus ac præceps, acriter & importunè urgendo, ut, quod mandatum est, illico perficiatur. Altera, ut nolis attendere ad exigua parvique momenti lucra, seu emolumenta. Volens enim accelerare omnia, & semper & ubique properare; tum certè non habebis perspectas res, ad quarum notitiam nonnisi lentè perveniri solet. Jam si attenderis ad exilia quædam lucra & commoda; tunc fiet ut maximæ quæque res & negotia, haud perficiantur.

p. 2. §. 1. Modò memoratus oppidi *Xe* Præfectus alloquens *Confucium* aiebat: Inter meos populares inveniuntur homines, qui admodùm simpliciter & rectè procedunt. Ex. gr. cujuspiam pater alteri fortè suffuratus fuerit suam ovem, & ecce filius sine ullâ cunctatione & sine ullis ambagibus coram judice profert testimonium contra patrem.

§. 2. *Confucius* ait: Meorum quidem popularium simplices ac recti, haud paulò diversi sunt ab istis. Pater enim, si quid fortè graviùs peccatum est à filio, vel ideò quia filius est, rem occulit: Filius item, si quid fortè peccatum est à Patre; multo etiam magis, quia Pater est, rem occulit, celatque alios, judicem imprimis, & ut mihi quidem videtur, simplicitas quædam & rectitudo existit etiam in hoc ipso patris filiique occultandi studio.

Hanc Philosophi sententiam confirmat Sie *Interpres exemplo sapientis* Xun, *qui deinde fuit quintus Imperator Sinarum : cum enim pater suus* çu seu *fortè commisisset homicidium ; pius filius clam sublatum in humeros, & ad maris usque littus deportatum, severi judicii, capitisque periculo eripuit.*

§. 3. *Fan-chi* quæsivit ex Magistro modum acquirendæ veræ virtutis. *Confucius* respondit : : Studium illius nullo non loco & tempore est necessarium : Si degis privatus, decorum & gravitatem constanter fac serves. Si admovenda manus est cuipiam operi negotiove publico; sedulò, maturè, sedate te geras. Agenti cum hominibus fides atque veritas cordi sit. Quamvis autem perrexeris ad gentes barbaras, & incultas; non licet tamen vel unico temporis momento hæc abjicere, quæ dixi, studia virtutis.

f. 7. p. 1. §. 1. *çu cum* quæsivit dicens ; quo pacto quispiam poterit evadere, meritoque dici vir eximius ac primarius ? *Confucius* respondit : qui in rebus actionibusque personæ suæ propriis verecundus est, sic ut primam quoque speciem turpitudinis & iniquitatis vereatur ac horreat. Item qui à Principe suo legatus ad quatuor Imperii partes negligentiâ vel imprudentiâ suâ non dedeçorat Principis sui legationem, seu negotia cum Regulis pertractanda ; poterit is dici vir eximius ac primarius.

§. 2. Discipulus ait : Liceat mihi denuò percontari, ab hujusmodi hominum supra vulgus eminentium ordine, quinam secundi sint? *Confucius* respondet : Secundi sunt ii, qui à propinquis & consanguineis suis jure & merito censentur & prædicantur obedientes. Item, qui à suis popularibus censentur & prædicantur observantes natu majorum.

§. 3. Ait discipulus : Liceat mihi denuò percontari. Ab his ipsis ecqui rursùs secundi sunt. Respondet *Confucius* : qui in sermonibus suis obfirmatum adferunt animum ad veritatem ; tametsi parùm acutè discernant inter verum & falsum. Item, qui in rebus suis & actionibus omnibus obfirmatum adferunt animum ad perficiendum opus susceptum. Hujuscemodi duriusculi & pervicacis nescio cujus constantiæ homines, quàm modicæ facultatis & ingenii sunt! Attamen nonne etiam possunt censeri secundi ab istis : maximè cum nemini plerumque sint damno ; & dum sibi unis vacant, aliquid etiam quod suam laudem mereatur, habeant.

§. 4. *çu cum* rursus interrogat : qui hoc tempore admoti sunt gerendæ Reipublicæ, cujusmodi sunt plerique judicio tuo Magister? *Confucius* respondet : Eheu ! exiguæ facultatis & capacitatis, & planè ad instar vasculorum *Teu* & *Siao* homines sunt : quomodo mereantur esse in aliquo numero vel pretio?

p. 2. §. 1. *Confucius* ait ? Ego si non inveniam, qui mediam vir-

tutis viam teneant, ut propagem illam, communicemque cum plurimis operâ ipsorum: tum quidem necesse erit cum duplici hominum genere communicare, scilicet cum iis qui celsas quidem cogitationes habent, sed nihil perficiunt. Item, cum iis, quibus celsæ cogitationes desunt quidem, adest tamen robur & constantia in eo quod semel susceperunt: Illi namque nativâ suâ animositate illâ impulsi feliciter poterunt progredi, & sumere exempla ac normam ab altiùs provectis; hi vero saltem habent à quibus sibi sedulo cavent, & quæ non facilè ac temerè admittunt, & sic tam hi quàm illi facile poterunt ad medium reduci.

f. 8. p. 1. §. 1. *Confucius* ait: Apud meridionales homines datur tritum sermone proverbium quo dicitur: Homo qui non habet constantiam, non potest exercitare artem vel divinatoriam vel medicam. Laudo proboque.

§. 2. Confirmat autem hoc proverbium authoritate Principis *Cheu-cum* in commentariis suis in librum mutationum, ad figuram 32 cui titulus *Hem*, id est, constantia, ubi sic ait: Quisquis non perpetuat & constanter excolit suam virtutem; aliquando sibi accerset probrum & dedecus. In quem rursus locum scribens *Confucius* sic ait: quisquis non constanter exercet suam virtutem, non habet quidquam ad quod vel utilis vel idoneus sit.

§. 3. Ingemiscens hîc *Confucius*: Proh dolor! inquit, non exquirunt neque expendunt cœci mortales hanc veritatem. Actum est!

§. 4. *Confucius* ait: Vir probus ac sapiens, quantum fas & ratio sinit, concordat cum omnibus, sic tamen ut non sit unum quid & idem cum promiscuâ hominum turbâ: contra improbus & insipiens delectu nullo unum quid idemque se facit cum omnibus; & tamen cum nemine concordat, quatenus fas & ratio præscribit.

§. 5. *çu cum* quærit dicens: Si populares omnes gaudeant quopiam, quid tibi videbitur? *Confucius* respondet: Necdum id sufficit, ut certi quid de virtute ipsius sapientiâque statuatur. At si populares omnes oderunt quempiam, quid de illo tibi videbitur? *Confucius* ait: Hoc quoque necdum sufficit. Longè melius est tutiusque si popularium probissimi quique gaudeant illò, & si eorumdem improbissimi quique oderint illum. De hoc ausim ego tutò affirmare virum esse probum & sapientem.

p. 2. §. 1. *Confucius* ait: Viro sapienti facile est quidem servire, & jussa quælibet imperantis exequi: At difficile est sanè eidem præbere oblectamentum. Etenim si offeras oblectamentum ipsi non consentaneum honestati & rationi, non admittit oblectamentum. Agendo vero de ipso ut est imperans aliis, semper utique metitur vires & facultates eorum, quibus quid imperat. Stulto contrà difficile est servire; at perquam facile præbere oblectamenta: quippe si demulces

si demulces illum & oblectas; quamvis id turpiter & illicitè; delectatur tamen. Agendo verò de ipso ut herus est, seu, Præfectus populi, importunè & inclementer exigit ab suis res omnibus numeris absolutas.

§. 2. *Confucius* ait: Sapiens altâ pace fruitur; & tamen non effertur ullo fastu vel superbia. Stultus autem sibi ipse placet ac plaudit; & tamen expers est idem veræ pacis, quia expers veri boni, veræque virtutis.

f. 9. p. 1. §. 1. *Confucius* ait: Robore constantis animi, forti patientiâ, candidâ simplicitate; denique tarditate quâdam ad loquendum, his quatuor ceu gradibus propè acceditur ad integritatem innocentiamque animi cœlitùs inditam naturæ nostræ.

§. 2. *çu lu* sciscitatur dicens: Quo pacto quispiam poterit dici inter suos Magister? *Confucius* respondit: Sit ardor quidam amoris ac studii in consectanda virtute. Adhibeatur exactitudo quædam & efficacitas in commonendis aliis officii sui. Ad hæc oris serenitas, affabilitasque sermonis accedat, hic poterit dici Magister. Porrò adversùs amicos & familiares adhibeatur ardens studium mutuæ virtutis, necnon acris & accurata mutui officii exactio. Verùm adversus fratres natu majores & minores, blandior quædam suaviorque adhibeatur ratio.

§. 3. *Confucius* ait: Vir probus & integer si doceat populum, quæ officii sui sunt, sive erga parentes, sive erga Principem, idque si doceat per septem annos; hinc etiam poterunt cives ac subditi rei militari periti evadere.

p. 2. §. 1. *Confucius* ait: Adhibere autem necdum probè instructum virtutibus populum ad rem militarem, id profecto jure dicitur abjicere suos, & gravi periculo patriam exponere.

§. 2. Discipulus *Yven hien* quæsivit ecquid erubescendum sit. *Confucius* respondit: In Regno dum vigent leges gerere munus publicum, nec operâ vel consilio conferre quidquam ad utilitatem publicam, & interim frui censu regio, res est pudore digna. Rursus in Regno dum jacent leges pari otio socordiâque diffluere, dum maximè tamen consulendum esset periclitanti patriæ, & nihilominus frui censu regio; vehementer erubescendum est.

§. 3. Instituit idem discipulus quæstionem hujusmodi: Si quis, inquit, immunis esset à vitiis quatuor maximè vulgaribus, atque adeo si quis per nimium appetitum gloriæ; præcellentiæque; item per sui complacentiam jactantiamque; per iracundiam denique, & cupiditatem habendi, nihil omnino faceret; posset is, opinor, censeri præditus primâ illâ quæ homini indita fuit virtute & innocentiâ.

§. 4. *Confucius* respondit: Non agere quidpiam cum iis, quas

enumerasti, perturbationibus animi, potest id quidem censeri perquam rarum ac difficile: Verumtamen de primævo illo rationis imperio innocentiâve an præditus sit nec ne, equidem ego non scio.

f. 10. p. 1. §. 1. *Confucius* ait: Vir gravis ac sapiens qui de hoc potissimum laborat, hoc assiduè meditatur ut commodè suaviterque domi suæ degat, indignus est qui censeatur vir sapiens.

§. 2. *Confucius* ait: Si in regno quopiam viget lex authoritasque boni Principis; fidenter fortiterque loquere; fidenter fortiterque age. In regno si jacent leges authoritasque Principis; tunc nihilominus fidenter quidem fortiterque agendum est; attamen sermones solito plus facilitatis ac submissionis habeant; ne alioquin ægri jam corporis morbum exasperes veriùs, quam ei medearis.

p. 2 §. 1. *Confucius* ait: Qui habet virtutem, procul dubio habet etiam in promptu sermones ac documenta, quibus eam aliis commendet. Cæterum qui habent sermones in promptu, non tamen certâ necessariâque consequentiâ habent virtutem. Rursum quisquis excellit integritate innocentiâque vitæ, procul dubio robore quodam animi & fortitudine est præditus. Fortis tamen haud necessario certove præditus est eâ, quam dixi, integritate.

§. 2. Discipulus *Nan cum quo* (alias *Nan yum*) quæsivit ex *Confucio* dicens: Olim Regni *Yeu kium* dynasta *Heu y* dictus, idemque Colaus sub *Chum cam* quarto Imperatore familiæ *Hia* (*annis circiter 1700. ante* Confucium) robustissimus erat, simulque peritissimus jaculandi. Alter idem ejusdem coætaneus *Ngao* dictus, filius *Han cho* nullo negotio circumducebat huc atque illuc navigia in arenti solo, tam portentosis erat viribus corporis. Cæterum & hic & ille non adepti sunt suam mortem, ambo scilicet interfecti. Verùm duo alii *Yu* scilicet, & *cie* nullo corporis robore vel opulentiâ conspicui, cùm suis ipsi manibus agros colerent, & vitam humilem, pauperemque viverent; tamen obtinuerunt Sinarum Imperium, *Yu* quidem Imperatori *Xun* succedens, adeoque familiæ *Hia* primæ ipse conditor: *çie* vero, quatenùs ex stirpe hujus (licet mille ac trecentis circiter pòst annis) prognatus fuit magnus ille *Vu-vam*, tertiæ familiæ *Cheu* fundator. Sed unde hoc tandem? *Confucius* tunc quidem non respondit: Discipulo verò *Nan cum quo* mox egresso, exclamans *Confucius* dixit: O quàm præstans hic vir est! O quanti facit, & suoverè æstimat pretio virtutem hic vir *Nan cum quo!*

f. 11. p. 1. §. 1. *Gin* nativa cordis virtus est, nec aliud ferè, quàm perpetua quædam animi conformatio cum lege cælesti. Quoniam vero cor ipsum valdè inconstans est ac mobile; hinc fit, ut nobis etiam non advertentibus virtus illa, si non penitùs amittatur, certè quidem ceu nebulis quibusdam identidem intercipiatur. Quocirca rectè *Confucius* ait: Vir & probus & sapiens, & tamen quandoque

expers purissimæ illius tenerrimæque virtutis planè datur. Verbo: levis error, peccatum leve, cadit in sapientem. Cæterum necdum extitit, nec verò potest existere simul improbus & simul virtute illâ *Gin* instructus: esset enim conformis cum cœlo, & non esset.

§. 2. *Confucius* ait: Quisquis amat, potestne non exercere duris eum quem amat? Rursus, quisquis fidelis est, verusque Minister sui Principis postne non monere eum officii sui?

§. 3. Regnum *Chim* sanè modicum, & inter præpotentia duo Regna *çin* & *çu* medio situm loco, virtus ac prudentia Principis sui *Hien cum* dicti, cum fide, concordiâ, solertiâque Ministrorum feliciter conjuncta, non invictum modò præstabat adversùs ambitionem, potentiamque vicinorum; sed etiam pace opulentiâque florens ac beatum. Concordis ergo solertiæ, fideique servientis Principi specimen aliquod hîc daturus *Confucius*, & ex digito robur & elegantiam totius corporis æstimaturus, sic ait: quotiescumque Principis nomine nuntiandum quid erat finitimis Regulis; primum quidem *Pi xin* Præfectus probè cognitam Principis mentem primâ manu styloque rudiori exponere ordiebatur; mox deinde *xi xo* scriptionem examinabat, & appositis rationibus & exemplis Priscorum confirmabat. Tertius *Hin gin* (officii nomen est) *çu yu* dictus præcisis iis, quæ superflua videbantur & additis quæ desiderari judicabat cultiori stylo & ordine disponebat omnia & exornabat. Quartus denique è territorio *Tum li* oriundus, cui nomen *çu chan* propriam quoque gratiam & venustatem addebat operi, tollens si quid irrepserat jam antiquati. Porrò quod à quatuor viris illustribus, & tam concordi opere perficiebatur, an exitum sortiri poterat non optatum?

p. 2. §. 1. Exponit *Confucius* hoc paragrapho & duobus sequentibus, quid censeat de quibusdam viris & Ministris variorum principum. Quodam igitur sciscitante de *çu chan* quid sentiret. *Confucius* respondet: Beneficus est, & talis habetur ab omnibus, quamvis idem severus sit & censor & judex.

§. 2. Interrogatus de *çu si* quid sentiret, aspernantis in morem sic respondet: Vir iste, iste? Favebat scilicet dynastæ Regni *çu* legitimo illi quidem, sed qui contra jus Regis titulum sibi vendicaret.

§. 3. Interrogatus de *Quon chum* Præfecto Regni *çi*, qui *Huon cum* Regulorum tunc facile Principi, à consiliis olim fuerat; respondit: Hic vir hic erat *Huon cum*. Certè cum privasset unum præfectorum (cui nomen *Pe xi*) reum certi criminis, eâ quâ ipsum quondam donaverat *Pien* ditione trecentarum familiarum; cumque hanc ad *Quon chum* transtulisset, *Pe xi* deinde redactus ad egestatem, adeoque vescens orizâ viliori, tamen ad extremum usque ætatis suæ non protu-

lit unquam iniquioris vel indignantis animi verbum. Reputabat enim assiduè, & quid ab se peccatum fuisset; & quæ quantaque essent alterius qui sibi in eâ ditione successerat, merita.

f. 12. p. 1. §. 1. *Confucius* ait: Versari in paupertate, & tamen non odisse illam, perquam difficile est. Esse divitem & tamen esse sine fastu vel superbiâ, facile est.

§. 2. *Confucius* ait: Regni *Lu* quondam Præfectus *Mem cum cho*; is ut agat quidem, *Chao* & *Guei* duarum familiarum in Regno *çin*, quamvis admodùm illustres & copiosæ sint, supremum œconomum; utique habet affatim facultatis & industriæ: At non potest agere ne minimæ quidem dynastiæ *Tem* vel *Sie* Præfectum.

p. 2. §. 1. *çu lu* percontatur quænam maximè res numeris omnibus absolutum reddat hominem? *Confucius* respondet: Si quidem Præfecti Regni *Lu*, *cam vu chum* dicti scientiam & prudentiam; Item modo memorati *Mem cum cho* moderationem animi cupiditatis & avaritiæ expertem: Insuper Præfecti ditionis *Pien*, *chuam çu* dicti robur tam animi quàm corporis: Denique condiscipuli tui *Gen kieu* industriam peritiamque artium liberalium, has, inquam, dotes ac laudes si exornaverit quis, & temperaverit quodammodo officiis ritibusque civilibus, & musicâ mutuæ concordiæ morumque optimorum blanda magistrâ, equidem poterit hujusmodi censeri vir numeris omnibus absolutus.

§. 2. At hæc omnia unus quî complectatur? Concipere animo perfectionem tantam possumus; invenire qui illâ præditus sit, ægrè possumus, attamen, ætatis hujus nostræ perfectos viros quid magnopere necesse est esse tales? Certè si quis videns lucrum, protinùs meditetur justitiam, item videns discrimen Reipublicæ vel Principis, alacriter exponat offeratque vitam. In veteribus autem pactis & promissis non obliviscatur, nec inficietur suos universæ vitæ sermones & fidem semel datam nunquam fallat. Hujusmodi qui sit, etiam poterit suo modo censeri vir perfectus.

f. 13. p. 1. §. 1. *Confucius* percontans de Regni *Guei* Præfecto *cum xo ven çu* ab indigenâ quopiam, cui nomen *cum mim kia* sic ait: an est credibile, quod vulgo dicitur, dominum tuum non loqui, non ridere, non admittere quidpiam?

p. 2. §. 1. *Cum min kia* respondit: qui hæc narrant, excedunt limites veritatis. Dominus meus, si adest tempus loquendi, si locus & ratio id postulat; tum deinde loquitur: atque ita homines non fastidiunt ejus sermones. Si lætandum est, ubi justa datur risus & hilaritatis causa; tum deinde ridet: homines itaque non fastidiunt ipsius risum. Denique si jus & æquum patitur; tum deinde, quę offeruntur admittit: hoc pacto homines nec fastidiunt in ipso acceptationem munerum Moderatio autem ejusmodi, quią non vulgaris est

est ætate nostrâ; idcirco Dominus meus vulgo nec loqui dicitur, nec ridere, nec quidquam admittere. Audiens hæc *Confucius*, admirabundus, ac subdubitantis instar, ait: Erit ita ut narras. Miranda res quidem & raræ laudis: sed quomodo, tamen ita prorsus est?

§. 2. *çam vu chum* Regni *Lù* præfectus, graviter deliquerat in Principem, à quo pœnam metuens, profugerat in finitimam dynastiam *Chu* dictam: sed hinc non multò post reversus in Patriam, & sitam in eâ ditionem juris quondam sui, incolas rogitat ut pristinam ejus possessionem uni saltem posterorum suorum à Principe exorarent. Sed *Confucius* ambages istas haudquaquam probans, sic ait: *çam vu chum* super pristinâ ditione suâ *Fan* procurat ac petit pro posteris suis apud Regni *Lu* Principem: Sed ego timeo, ne sint armatæ preces istæ, & quamvis ipse dicat, nihil ego per dolum aut vim volo à Rege: ego tamen non credo: Crederem verò si rectà ad Principem & non ad suos quondam subditos se contulisset.

f. 14. p. 1. §. 1. *Confucius* ait: Regni *çin* Regulus *Ven cum* in iis quas suscipiebat, expeditionibus fictus erat subdoleque industrius, & non rectus & syncerus. E contrariò Regni *çi* Regulus *Huon cum* syncerus, & qui præstabat cum fide quidquid promiserat, & minimè fictus erat; ex hoc scilicet capite longè illi anteponendus.

§. 2. Mortuo *Siam cum* Regni *çi* Regulo gravis inter indigenas exorta seditio est, aliis majorem natu deposcentibus ad Regnum, minorem aliis, idque non sine vi & armis. Fugit interim major natu *Huon cum* unà cum *Pao xo ya* cliente suo & consiliario in Regnum *Kiu*, ibidem milites comparaturus. Minor verò, (cui nomen *cum çu kieu*) in Regnum *Lù* sese contulit cum duobus item clientibus *Chao ho* & *Quon chum*. Victo tandem minore natu, major ingressus Regnum *Lu*, terrefactos indigenas ad cædem compulit profugi Principis; ambos autem fugæ socios detrudi jussit in carcerem. Non sustinuit horum alter *chao ho* superstes esse Domino; sed morte spontaneâ vinculorum opprobrium antevertit. *Quon chum* fortunæ cedens admisit vincula: sed his deinde solutus jussu victoris, etiam supremus ejusdem Consiliarius & administer, adnitente *Pao xo ya* creatus est. Vicit rei successus omnium spes ac vota: cum enim finitimi Barbarorum invasissent Regnum *çi*, brevi novus administer consilio, prudentiâque suâ perfecit non modò ut Regnum *çi* victis ac fugatis Barbaris pristinam quietem ac libertatem recuperaret; sed Imperatoriæ quoque domui *cheu*, quæ tunc temporis jacebat inglo-ria; multi Regulorum denuò parerent, & clientelare obsequium persolverent. Discipuli itaque *çu-lu*, ac *çu cum*, magistri sui exquirentes sententiam, *çu lu* quidem sic ait: *Huon cum* Regulus occidit *cum çu kieu* fratrem suum. *Chao ho* pariter occubuit cum Domino fugæ necisque fidus comes. *Quon chum* sanè diversus ab hoc non

occubuit; sed rebellis instar ac transfugæ secutus est victorem. Itaque diceturne hic non fuisse pius?

p. 2. §. 1. *Confucius*, inquit, *Huon cum*, uti scitis, congregavit, studiisque & armis sociavit varios dynastas ac Regulos, quorum scilicet operâ Barbaros sic expulit, ut Imperatoriæ quoque domûs honori pariter & incolumitati consuluerit. Nec adhibuit tamen suæ ditionis arma vel currus bellicos ad tantam rem perficiendam; unius potissimùm *Quon chum* vis ista fuit ac virtus prudentiâ suâ industriâque perficientis omnia. Quod si ita est, ecqujus pietas conferri poterit cum hujus pietate? Ecquis æquè ut iste *Quon chum* rectus ac pius esse censebitur?

§. 2. Instat *çum cum* alter discipulorum, & ait: Nonne tamen iste *Quon chum* reverà fuit non pius? Regulo namque *Huon cum* interficiente Dominum ipsius *cum çu kieu* non sustinuit ipse pariter mori, uti decebat tamen facere fidum clientem. Quin etiam ad partes fratricidæ transiit, ipsumque adjuvit.

§. 3. *Confucius* respondit: *Quon chum* Consilio & operâ juvit Regem *Huon cum*, (per annos 40.) sic ut is dominaretur ipsismet Regulis non ut Imperator, sed velut primas ac præses reliquorum. Qui adeò ex quo tempore renovavit ac erexit quod jacebat Imperium; populus usque ad hunc diem suscipit ac conservat ipsius tam præclaram navantis operam beneficium. Si non extitisset *Quon chum*, ego vobiscum jam servirem barbaris, rituque barbarorum hanc solutam haberem Cæsariem, & non more nostro collectam, ritu item barbarico ad lævum latus, & non ad dextrum, vestem fibula adstringerem.

f. 15. p. 1. Quorsum igitur instar abjecti cujusdam hominis, vilisve mulierculæ præstiturus nescio quam fidelitatem sanè perexiguam, semetipse laqueo peremisset in fossâ quâpiam seu flumine, sic ut à nemine fuisset deinde cognitus?

p. 2. §. 1. Celebris cujusdam præfecti in Regno *Guei*, cui nomen erat *cum xo ven çu* subditus ac Minister domesticus, *Siven* dictus, & ob egregias dotes ad eandem, quâ Dominus suus potiebatur, dignitatem, adnitente ipso Domino, evectus; jam unà cum ipso *ven çu* Domino suo pariter ascendebat in aulam Regiam negotia tractaturus.

§. 2. *Confucius* id audiens, ac meritam viri laudem ex nomine ejusdem petens; reverà, inquit, vel ex hoc uno capite dignus est illustri nomine, quod ei Rex quondam honoris gratiâ tribuit, dignus est, inquam, qui censeatur ac prædicetur vir prorsus obsecundans rectæ rationi, & ornatissimus virtutum laude. Suspicit enim Philosophus raram viri virtutem, apud quem tantum valuerit utilitas publica, ut sui quodammodo oblitus, non dubitârit hominem

usque adeo humilem ad eundem cum suo gradum promovere.

§. 3. *Confucius* degens in *Lu* Regno patrio, cum diceret Regni *Guei* Principem *Lim cum* sine more modoque boni Principis vivere: *Cam çu* Regni *Lù* Præfectus ait: Hoc si ita est, quomodo non perit Regnum *Guei*?

§. 4. *Confucius* respondit: *Chum xo ju* munus gerit excipiendorum legatorum & hospitum. *Cho to* præpositus est gentilitiis majorum aulis, *Van sun kia* Præfectus est castrorum, & hi tres scilicet magnâ cum prudentiâ solertiaque res sibi commissas feliciter administrant. Hæc si ita sint, si nitatur Regnum viris talibus tantisque, quomodo illud pereat, quantumvis ipse Princeps officii vivat immemor?

f. 16. p. 1. §. 1. *Confucius* ait: Quotiescumque hominis cujuspiam sermones imbuuntur verecundiâ quâdam seu modestiâ, & moderatione; sed cum temeritate jactantiâque proferuntur; tunc certè rebus factisque explere illos perquam difficile est. Nactus ergo loquentem grandia, quid is agat, observa; memor, inopiam factorum cum verborum copiâ non raro conjungi.

§. 2. Moliebatur clandestinam rebellionem *chin chim çu* Præfectus Regni *çi*; de quâ jam suspectum oderat Regulus suus, & ab homine fido, cui *Han chi* nomen, diligenter observari jusserat: Verùm perduellis rem subodoratus occidit primùm quidem exploratorem suum; deinde etiam Regulum ipsum *Kie cum*.

§. 3. *Confucius*, qui paulò antè gravem Magistratum gesserat, tam nefariæ cædis atrocitate commotus, priùs de more lavit corpus, & ita mox ad aulam perrexit certiorem facturus *Ngai cum* Regulum; in cujus ubi conspectum pervenit, Præfectus inquit *Chin hem* (*alterum parricida nomen est*) interfecit suum Regem: Rogo te ut misso milite perduellem comprehensum punias; & quando finitimum est tuo Regnum, primus sis, qui de facinore, quod cœlum ipsum haudquaquam tolerat, expetas ultionem.

§. 4. Regulus ut erat jam senex, ac propè inutilis ad res gerendas, ad hæc modicæ authoritatis, tribus scilicet familiis authoritate tantùm non regiâ dominantibus, *Confucio* respondit: Vade, & nuncia rem istam meis tribus clientibus *Mem sun*, *Xu sun*, & *Ki sun*.

§. 5. *Confucius* priusquam discederet, ô Rex, inquit, ego tametsi nunc Magistratum non geram; quoniam tamen gessi aliquando, & nunc ego à præfectis tuis sum proximus; equidem non ausus fui non certiorem te facere de re tanti momenti. Rex iterùm vade, inquit, & nuntia rem tribus meis clientibus.

p. 2. §. 1. *Confucius* Regulo morem gerens, pergit ad tres illos clientes, rem exponit; at illi haud convenit nec possumus, inquiunt, injuriam istam persequi. Quo audito *Confucius*, quasi officio suo fat

superque jam perfunctus iisdem, quibus supra, verbis: Proceres, inquit, quoniam ego à præfectis proximus sum dignitate; non ausus fui non certiores vos facere de re tanti momenti. Referuntur hæc à discipulis, ut constaret posteris de calamitoso statu regnorum istorum; finitimi quidem, in quo tam dira cædes patrata, patrii verò quod ultionem parricidii non suscipiebat.

§. 2. *çu lu* quærit à Magistro, quâ ratione serviendum sit Principi. *Confucius* respondet: Ne fallas; ac tum fidenter adversare vel erranti vel peccanti Principi.

f. 17. p. 1. §. 1. *Confucius* ait: Vir probus ac sapiens assiduè sursum provehitur ac penetrat: stultus ac improbus assiduè deorsum labitur ac penetrat: Et hic quidem (ait Interpres) prorsus ad instar fodientis & aperientis sibi puteum, quò tandem in profundo cupiditatum suarum cœno, pecudi similior quàm homini, demergatur.

§. 2. *Confucius* ait: Prisci studebant literis optimisque disciplinis primùm ac potissimum propter se, fructum virtutis ac sapientiæ inde petentes. Homines verò ætatis nostræ student literis propter alios, à quibus scilicet vel inanem plausum expectant, vel honoris ac rei familiaris amplificationem.

§. 3. *Kiu Pe yo* Præfectus Regni *Guei* misit salutandi gratiâ hominem ad *Confucium* hospitem quondam suum.

§. 4. *Confucius* honoraturus Dominum in ipso famulo admisit ipsum ad consessum, ac deinde sciscitabundus ait: Dominus tuus ecquid potissimum agit? Respondit: Dominus meus desiderat imprimis emendare & imminuere sua peccata; sed necdum potest compos votorum fieri. Eo qui missus fuerat paulò pòst egresso, *Confucius* exclamans ait: O egregium Ministrum! ô egregium Ministrum! qui videlicet tam paucis verbis tam uberes amplasque laudes heri sui complexus est!

p. 2. §. 1. *Confucius* ait: Quando non versaris in hoc vel illo munere; ne tractandam suscipias illius administrationem.

§. 2. *çem çu* utens assiduè sententia, quam deprompserat ex *Ye Kim* dicebat: Vir sapiens dum publico munere perfungitur, etiam in iis quæ, cogitat non evagatur extra suum illud munus.

§. 3. *Confucius* ait: Sapiens erubescit sua ipsius verba, si quando vincant seu excedant sua ipsius facta.

f. 18. p. 1. §. 1. *Confucius* ait: Laus veri sapientis & via seu norma triplex est. At ego proh dolor! Nullam adhuc teneo. Innocentiâ vitæ præditus rationi ac cœlo constanter obtemperat; adeoque non turbatur, quamcumque tandem subeat fortunæ vicissitudinem. Prudentiâ instructus syncerum à pravo, falsum à vero solerter discernit; adeoque non hæsitat, nec anceps distrahitur. Denique fortis ac sine

metu

metu, & singulari quodam præditus robore excelsi invictique animi, non pertimescit aut pavet.

§. 2. *çu cum* discipulus hæc audiens, sic quidem, inquit, tu, ô Magister, pro singulari tuâ modestiâ de te ipso & sentis & loqueris.

§. 3. *çu cum* totus erat in comparandis inter se hominum moribus; *Confucius* eum redarguens, tune, inquit, ô mi discipule *Su*, an es vir sapiens? Mihi equidem non est sat otii ne ad res quidem curasque meas; quantò minus, ut inquiram curiosus in mores & vitam aliorum.

§. 4. *Confucius* ait: Ne angaris animo vel te discrucies quòd homines non te noverint: Angere potiùs ac discruciare de istâ impotentiâ & imbecillitate tuâ; qua fit scilicet ut necdum perspecta habere, & multo minus perficere valeas quæ sunt officii tui.

p. 2. §. 1. *Confucius* ait: Si quis non antevertit sollicita suspicione & cura procul adhuc remotam deceptionem ac fraudem; nec sit ex eorum numero qui omnia, quamvis sint tutissima, timent assiduè; Si quis item non diu ante statuit apud animum suum, non datum iri fidem sibi dicturo quidpiam vel facturo: Si quis, inquam, homo sit hujusmodi, ut nunquam curis istis ac suspicionibus, quæ hominum societati, commerciisque mutuis tam inimicæ sunt, implicetur; idem tamen si polleat eximia quadam solertia, perspicaciaque vel hominum vel rerum; atque adeò statim odoretur ac præsentiat quidquid fortè latet fraudis ac fallaciæ; is sane vir est perspicax ac prudens.

§. 2. Unus è numero sapientum, sed qui uni sibi vacabat, *Vi sem mu* nomine, alloquens *Confucium* sic ait: *Kieu* (lege *meu*) quid agis dum sic anxiè vagaris ac sine intermissione percurris, uti video, terras omnes Imperii: Modo versaris in Regno *çi*, modò in Regno *Lù*: Venditas ubique doctrinam tuam; sed nusquam invenis qui emant; nonne est hoc circumforanei prorsus instar esse loquacem & garrulum, & inanem captare plausum imperitæ multitudinis; fortasse & dignitatem quampiam emendicare?

§. 3. *Confucius* ut fastum hominis aliquantulum retundat, in hunc modum respondet: Non ausim ego nugas & verba vendere, & agere loquacem. Cæterum odi etiam ac damno pertinacem unique rei & sententiæ affixum, & qui ad primos impetus aut minas publicæ calamitatis illicò latibulum quæritet, & ne cogitare quidem sustineat de restaurandis legibus, moribusque depravatis hominum corrigendis.

§. 4. *Confucius* aiebat: In raro & præstanti equo non tam laudatur ipsius robur, quàm laudatur ipsius virtus, id est, docilitas, mansuetudo, facilitas.

f. 19. p. 1. §. 1. Fortè quispiam dixit: Beneficiis compensare odia & injurias, de hoc quid videtur tibi?

§. 2. *Confucius* respondit : Qui sic agat ; ecquâ re tandem compensabit benefacta ? Dispar enim debet esse merces ac ratio ejus, qui bene meretur, & illius qui malè.

§. 3. Mea igitur hæc est sententia : eo, quod rectum justumque est, compensato injurias nec odia ; benefactis compensato benefacta. Quæ verba sic exponit Interpres. Injuriam quis intulisse mihi visus est ; non illam ego recordabor, nec considerabo, ut mihi est illata ; sed æquâ rationis trutinâ expendam singula ejusdem momenta, ut queam statuere ; quid hîc odio, quid amore, quid fugâ, quid prosecutione dignum sit. Expensis omnibus si comperiam, eum qui me læsit, aliis tamen ex capitibus & simpliciter amore dignum esse ; ego certè ob privatam offensionem nullas invidus offundam tenebras ipsius laudi ac virtuti : At si multa sint, quæ odiosum reddant, ac meritò exterminandum ; parebo tunc rationi, quæ improbitatem aliaque vitia odio prosequi & exterminare nos docet. Atque hoc est eo, quod rectum justumque est, odia rependere.

Habes hîc, Christiane Lector, Ethnici Philosophi de re tam arduâ sententiam : sed & Interpretis similiter Ethnici dignam Philosopho exclamationem ; quæ ut non attingat Evangelicam sanctitatem ; quanto tamen mitior hic sermo est, quanto humanior Pharisaico illo crudoque axiomate ; odio habebis inimicum tuum : Quamquam nec ab Evangelicâ Luce, si fas est ita loqui, procul abfuisse videtur Confucius, *cum uti refertur in lib. Offic. 9. fol. 38.* Y te pao yven, çe quon xin chi gin ye, *hoc est*, Beneficiis compensare odia, hoc enimverò est perampli pectoris virtus ac pietas.

§. 4. *Confucius* ut provocet discipulum *çu cum* ad percontandum quidpiam, suspirans ait : Nemo est omnium qui me nôrit.

§. 5. Audiens *çu cum*, Magister, inquit, quomodo fit hoc ut nemo sit qui nôrit te ? *Confucius* respondit : Primùm quidem non ego indignor cœlo, non etiam culpo mortales : orsus ab inferioribus non sine labore & constantiâ res disco, & sic paulatim gradum faciens ad sublimiora evado ac penetro. Interim quod perspectum habet me, ipsum est cœlum.

Ego (exponit Colaus) *quamvis humilis sim ac tenuis, nec coram illam Cœli munificentiam, quæ vulgò tanti fit, expertus ; handquaquam tamen indignor cœlo, vel obmurmuro : Sed nec homines in crimen voco, quod operâ meâ non utantur : Unum hoc ago, ut excolam me ipse, & orsus iter meum à radice montis, ad culmen ejusdem pedetentim contendo : Regiam tero viam ; fugio nova & inusitata. Latere ergo me & ignorari, non est quod mireris. Non erubesco interim oculos attollere, & fidenter intueri cœlum, quamdiu ab eo quod dixi studio conservandæ mentis meæ non absisto. Est enim credibile, quod supremum cœlum in medio arcanæ illius abditæque caliginis me contempletur, & perspectum habeat. Quod si*

ita est; quid obsecro tum refert, videri me ab hominibus, cognosci, & celebrari?

Hactenus paraphrasis Colai, qui proprio illam epiphonemate concludens; sic omnino res habet, inquit, Sancti postquam labore suo & constantia id assecuti sunt, ut supremam cœli de se dispositionem habeant perspectam; conjungunt tandem ac sociant ipso cum cœlo, quem in se clam continent, virtutum splendorem. At res ista quàm est perspecta cœlo, tam est obscura plerisque mortalium

p. 2. Vir Regni *Lu, cum pe leao* obtrectabat discipulo *çu lu* apud *Ki sun*, cujus tunc erat Mandarinus & assecla. *çu fo Ki pe* ejusdem Regni Præfectus offensus illâ petulantiâ & temeritate obtrectatoris, rem significavit *Confucio* dicens: Dominus meus *Ki sun* planè sinistri quid suspicatur ac malè vult discipulo tuo propter *Cum pe leao*, à quo in suspicionem & crimen vocatus est. Si quidem per te licet, ego pro authoritate meâ & potestate etiam possum castigare & è medio tollere & abjicere in forum publicum tam improbum obtrectatorem.

f. 20. p. 1. §. 1. *Confucius*, ut Præfectum avertat à proposito necis inferendæ, sic ait: Rectam administrationem Regni cujuspiam feliciter procedere, decreti cœlestis est. Rectam administrationem Regni cujuspiam negligi ac perire, est item decreti cœlestis. *Cum pe leao* igitur ecquid ipsi tandem cum hoc cœli decreto? An valeat fortassis eum perdere quem cœlum protegat? aut tueri atque protegere cui infestum sit cœlum?

Interpres noster, postquam exposuit hoc responsum Philosophi, eo ferè modo, quasi inevitabili fatorum lege tenerentur humana omnia: Tandem tamen declaraturus mentem Philosophi, suamque ipsius sententiam, planè negat esse sapientis, quando liber esse possit, ac sequi in omnibus rationem ac naturam ducem; ultrò se constringere vinculis fatalibus tam duræ necessitatis. Confucium *interim prudenter accommodantem sese tempori ingenioque hominum; sit locutum esse, tum ut solaretur ac placaret offensum discipulum; tum ut alteri cogitatam ultionem tanquam supervacaneam dissuaderet; tum denique ut castigaret hac ratione obtrectatorem ipsum.*

§. 2. *Confucius* ait: Sapientes quandoque fugiunt sæculum, sic ut penitus respuant honores omnes & curas publicas.

§. 3. Ab his proximi fugiunt quandoque regionem ubi degunt, quod perturbatam esse videant; & migrant in aliam, quæ recte administratur.

§. 4. Ab his rursum secundi fugiunt conspectum sui Principis, quando vident illum inconditis esse moribus.

§. 5. Denique & ab his secundi fugiunt sermonem, seu colloquium hujusmodi Principis.

§. 6. *Confucius* suspirans aiebat: Qui sic profugerunt à curis pu-

blicis periculisve ad privatum otium & quietem, septem numero fuerunt homines (*non extant eorum nomina*,)

§. 7. Olim *çu lu*, dum Magistrum sequitur ex aliis in alia migrantem regna, fortè pernoctavit in loco quodam *Xe muen* dicto. Custos portæ, qui & ipse erat ex occultis sapientibus unus, sciscitatur ab eo, quem tu sequeris? *çu lu* respondet: Sequor *Confucium*. Tum alter ait: An est vir ille, qui intelligens quidpiam non convenire, tamen agit idipsum quod non convenit; dum frustra scilicet opitulari vult laboranti imperio?

p. 2. §. 1. *Confucius* quo mœrorem animi calamitate publica tam afflicti leniret, fortè pulsabat instrumentum musicum lapideum, sed suis fidibus constans, quo tempore versabatur in Regno *Guei*. Fuit unus itaque ex illo latitantium sapientum numero, qui bajulans stramineos corbes transiret ante *Confucii* januam. Cumque ex ipso genere musices, quæ tota lamentabilis erat, sensum Philosophi deplorantis calamitatem publicam scelerter cognovisset; admirabundus, ac stomachanti similis; fierine hoc potest? inquit, reverà habet ille quidem, ut video, sensum calamitatis publicæ, quem & nos habemus, quem etiam satis prodit pulsato sic instrumento.

§. 2. Exinde, cùm aliquantisper substitisset, rursus audiens canentem, dixit: O vilem hominem & pertinacem! Nemo prorsus est qui ipsum nôrit, aut certe nosse velit, ejusque uti operâ. Desistat igitur à studio tam importuno! tamque inutili. Jam, plusquàm satis est, tentatum & concursatum. Meminisse te oportebat Proverbium Regni nostri: Si profundum est flumen, quod transire vis pedibus, tum nostro Priscorum more amictus transito: Si vadosum est, modicæque profunditatis, tum vestes succingito. Quasi diceret: Cur explorato jam statu nostrorum temporum, *Confucius* eidem non accommodat sese, prudensque abstinet tam inutili cura & concursatione?

f. 21. p. 1. §. 1. *Confucius* audito sermone tristis ac severi Philosophi suspirans ait: O virum nimis tenacem propositi: Nihil equidem difficultatis habet agere quod agit iste, & labori sese periculoque subducere: At meus certè non sustinet animus sic agere.

Accinens huic dicto Philosophi pr priâ quoque sententiâ Interpres noster, Sanctorum, inquit, animus cœlo terræque similis est. Cœlum & terra, quantumvis obscura sint nebulis, sentiantque procellas ventorum ac tempestatum; nunquam tamen desistunt ab officio suo procreandarum & fovendarum rerum per influxus suos. Similiter & sapiens, quantumvis aspera sint, calamitosaque tempora; semper tamen hoc agit, ut benè mereatur de humano genere: Infrà quidem semper misereatur consortes sibi mortales; suprà verò constanter veretur inviolabilem cœli nutum ac voluntatem.

§. 2.

§. 2. Discipulus *çu cham* percontans ait: In *xu kim* annalibus Priscorum Regum narratur. Quod Imperator *Cao çum* (alias *Vu tim*) delitescens in *Leam ngan* (nomen est sepulchralis horti lucive Regii, in quo pater ejus *Siao ye* tumulatus fuerat) per tres annos, pio luctui sic dederit sese, ut non sit locutus. Quid hoc significat? nam id quidem intellectu difficile est.

§. 3. *Confucius* ait: Quorsum obsecro, vis fiat in uno *cao çum*? Prisci Reges ad unum ferè omnes erant hujuscemodi. Officiorum libros consule, ubi docetur, quod Principe Regni vel Imperii demortuo, successor ejus idemque filius per annos omnino tres luctui se dabat: Universi interim Præfecti atque Magistratus fungebantur suo quisque officio; quia mandata excipiebant ab supremo administro, qui vices gerebat lugentis Principis; idque per triennium.

Cao çùm *seu* Vu tim *familiæ Imperialis secundæ* Xam *dictæ fuit Imperator vigesimus, qui Imperare cœpit anno ante Christum 1324. de hoc Principe religiosissimo refertur in libro s.* Xukim *fol. 28. quod, cum in horto sepulchrali* Siao ye *patris sui delitescens de renovando Imperio, secum ipse sollicitè meditaretur, oblata ei fuerit à* Xam ti *supremo cœli Imperatore (seu Deo) per somnium species ignoti viri, quem, prout ipse* Cao çum *coram Senatu suo depingebat verbis, coloribus expressum & undique conquisitum, ac demum inter cœmentarios inventum in loco* Fu yen (*nunc oppido* Pim lo *dicto in prou*: Xansi) *è luto suo ad supremam consiliarii dignitatem evexit.*

Hic Fu yve *vulgo nominabatur; cujus extant in libro* Xu kim *tribus contenta capitibus præclara monita, quibus Imperator* Vu tim (*alias* Cao çùm) *adeo profecit, ut per annos 59. pietatè & religione feliciter ac pacificè administrarit Imperium.*

Hic verò planè jucundum est videre, quomodo Interpres primi nominis Chu hi *dictus posteriorum temporum atheopoliticorum antesignanus secum ipse luctetur; nec tamen miser eluctari valeat: hinc enim Prisci textûs authoritate (quæ apud Sinas sacra est) prohibetur negare rei gestæ veritatem; inde verò quamcunque in partem se vertat à supremi cujusdam Numinis præsentiâ & majestate expedire se nequit. Sic igitur in majoribus suis commentariis ait:*

Quando Imperator *Cao çum* somniavit de *Fu yve*, distinctè & manifestè fuit aliquis *Fu yve* qui existeret illic: *Cao çum* reverà non eum cognoscebat cujus species in somnis offerebatur: Neque enim hominem hujusmodi unquam ipse viderat. *Cao çum* somniavit de *Fu yve* quod existeret illic: Hoc igitur cùm ita sit, verè fuit aliquis Cœli Imperator, qui coram *Cao çum* diceret, ego assigno tibi fidelem adjutorem: Nunc autem homines per vocem *Ti* non aliud quam Dominum & gubernatorem intelligi dicunt; eumdemque dicunt expertem corporis & figuræ: Sed puto quod ita res non habuerit

(nimirum non capiebat hic Scriptor quo pacto expers corporis, assumptâ tamen figurâ conspicuus homini redderetur) quod attinet (*prosequitur Interpres*) ad eum qui hac ætate nostrâ vocatur *Yo-hoam-ta-ti*, id-est, *Yo-hoam* magnus (*cæli*) Imperator, puto equidem nec de hoc id dici posse (*utique dici nequit: Quomodo enim homo ille* Yo-hoam *apparuerit, quem aliquot post* Cao çum *sæculis natum & deinde nonnisi exactis aliis aliquot sæculis per insanam superstitionem Imperatoris*, Hoei çum *dicti, è 19. familiâ* Sum *numero, supremi Numinis titulo donatum?*) Rursus (*prosequitur Interpres*) quam non inane & fortuitum fuerit illud somnium, successus ipse docuit: Rex enim *Cao çum* cum somniavit à cæli Imperatore assignari sibi fidelem adjutorem, ei procul dubio in somnis adfuit cœli Imperator qui illum indicaret; nec ullo modo dici potest rem ita non habuisse: nec item hic dici potest fuisse cælestem illam rationem, quam *Li* dicimus. (*Et hactenus quidem Interpres* Chu hi *quo se vertat ignorans; cæterùm ignorantiâ illâ & perplexitate suâ Veritati Providentiæque Numinis vel invitus favens. Li hoc atheopoliticorum figmentum quodpiam post 40. sæcula inventum à novatoribus interpretibus. Intelligunt autem per* Li *virtutem quamdam seu influxum naturalem mente & voluntate destitutum, sed principium rerum omnium, ad quod omnia conantur referre, totius retro antiquitatis monumenta & sensum in suam detorquentes sententiam.*

§. 4. *Confucius* ait: Qui præpositus est aliis, si quidem gaudet officiorum contemperatione debita, discrimen æquum semper faciens inter humiles, & honoratos inter summos & imos: tum populo facilè imperabit.

p. 2. §. 1. *çu lu* sciscitatur de viro sapiente, & qui longè supra vulgus emineat; *Confucius* respondit: Excolat sese, ut hoc pacto rectus evadat per assiduam suiipsius vigilantiam & attentionem. Quærit *çu-lu*, ubi sic egerit, num sufficiet? Respondit: Excolat ergo sese, atque ita excolat, ut expleat vota aliorum, sicut optat expleri sua ipsius. Instat discipulus: Ubi se res sic habuerit, nihilne requiretur præterea? Respondet: Excolat sese, & partas virtutis industriæque opes tam largè diffundat, ut procuret pacem, expleatque vota universi populi. Sed enim ardua res hæc est, & in hoc excolendi sui ipsius studio, sic ut explerent vota universi populi, *yao* & *xun* viri Principes tales ac tanti, tamen ipsi quoque vehementer laborabant & quasi perpetuâ quâdam tenebantur ægritudine animi & curâ, ne fortè vel unus esset ex omnibus, cujus amorem ac benevolentiam non obtinerent: Usque adeò suos haud secùs ac seipsos diligebant.

f. 22. p. 1. §. 1. *Yven-jam* sectator quidem Philosophi *Lao Kiun*; sed vir inconditis corruptisque moribus, quodam die decussatis cruribus sedens (*quem situm Sinæ indecorum esse censent*) expectabat

Confucium jam olim sibi notum. *Confucius* tam agrestes hominis mores, aliaque totius vitæ vitia animo damnans, sic ait: Olim quidem tu adolescens cùm esses, non fuisti submisso animo & observans natu majorum: Grandior factus nihil habuisti virtutis ac laudis, quod prædicaretur: Senior verò jam siquidem non moriaris ocyùs, hoc enim verò erit esse damno quamplurimis pravo exemplo & moribus. Hoc dicto, scipione leviter percussit ipsius crura, sic quoque debitæ gravitatis ac decori moniturus agrestem hominem.

§. 2. Ex ditione *Kive tam* dictâ pueri aliquot indigenæ *Confucio* in disciplinam recens traditi deferebant Magistri mandata ad hospites, & horum vicissim responsa ad Magistrum. Aliquis fortè scisciatus ait: Proficiuntne illi pueri?

§. 3. *Confucius* respondit: Oporteret quidem illos non in medio sedere, sed à latere; & dum sequuntur majorem natu, pone sequi: nunc autem ego video ipsos temerè considere in loco honorato. Video illos cum Magistro suo sine ullo intervallo pariter incedere; adeoque non observare, quæ sunt propria ætatis suæ. Quocircà judico quod non sunt studiosi profectûs sui. Cæterùm ego sumam mihi hanc Provinciam: Desidero quamprimùm sublatâ ruditate illâ, bonis moribus ac disciplinis excolere illos ac perficere; Verumtamen sic, ut à facillimis infimisque ordiar; & eos ipsâ cum ætate ad majora pedetentim manuducam.

LIBRI TERTII

PARS OCTAVA

Fol. 1. pag. 1. paragr. 1.

REGNI *Guei* Princeps *Lim cum* dictus belli magis quam virtutis cupidus percontatus est de instruendâ acie ad prælium, à *Confucio*. *Confucius* respondit: *çu* & *teu* vasorum sacrorum res ego quidem assiduè audivi: Castrenses res necdum didici. Quare illuscescente die statim profectus est, quod videret operam perdi.

§. 2. Existente *Confucio* in Regno *Chin* defecit victus: Sectatores ipsius languebant, nec poterant iter prosequi fame scilicet debilitati.

§. 3. Discipulus *çu lu* molestiam animi prodens ait: Inter viros probos ac sapientes etiamne dantur egentissimi? *Confucius* ait: Vir

probus ac sapiens durat in egestate gravi: Stultus & improbus in egestate gravi constitutus hoc ipso dissolvitur animo.

p. 2. §. 1. *Confucius* ait: Discipule mi *Su*, (aliàs *çu cum*) tunc sic de me censes, operosè me multa didicisse ac mandasse memoriæ, atque ideo tam promptè meminisse?

§. 2. Respondet discipulus: Utique. Sic mihi persuasi semper. Num aliter fortè res habet?

§. 3. Erras, inquit *Confucius*: aliter se res habet. Ego dumtaxat per unum res penetro.

f. 2. p. 1. §. 1. *Confucius* ait: Mi discipule *Yeu*, (aliàs *çu lu*) qui perspectam habeant virtutem, pauci sunt.

§. 2. *Confucius* ait: Nihil agens & tamen imperans nonne is fuit *Xun*? Hic quid agebat? totus spirans virtutem rectà austrum spectabat (*Quo situ Imperatores ac Magistratus hîc jus dicunt*) & aliud nil agebat: Omnia scilicet cursu suo, quem optimum tenebant, ire sinens.

§. 3. Discipulus *çu cham* quærit à Magistro suo modum gerendi res cum utilitate & profectu aliorum.

§. 4. *Confucius* respondet: Loquere simpliciter, candidè, cum fide: Age constanter, graviter, maturè: etiam in Australium vel Borealium Barbarorum Regno constitutus proficies. Contrà verò si loquaris haud simpliciter, candidè, & cum fide: Si agas haud solidè, graviter, ac maturè; quamvis in cœtu familiarum 2500, vel in cœtu familiarum 25. verseris ecquid tandem proficies?

p. 2 §. 1. Si consistis rectus: protinus contemplare ista velut ordine posita coram te. Si existis in curru; protinus contemplare ista velut innixa jugo currûs: hoc modo demùm, ubicumque fueris, res geres.

§. 2. Discipulus *çu cham* adnotavit hæc præcepta in cingulo, id est, in anteriori sinu cinguli sui descripsit, ut ostenderet, quanti faceret Magistri sui documenta.

§. 3. *Confucius* ait: O quàm rectus est *Su yu*) *Præfectus is erat Regni* Guei) Regno pacato instar sagittæ est. Regno turbato instar sagittæ est. Verbis scilicet factisque constans, rectus, integer.

f. 3. p. 1. §. 1. O virum præstantem *Kiu pe yo* ejusdem Regni Præfectum! Regno pacato protinus administrat Rempublicam; Regno turbato, protinùs novit subducere sese & latitare.

§. 2. *Confucius* ait: Dignus est quispiam qui cum instituas sermonem, & tamen si cum eo non instituis sermonem; perdis hominem: indignus est quispiam qui cum instituas sermonem, & tamen si cum ipso instituis; perdis verba. Prudens nec perdit hominem, nec perdit verba.

§. 3. *Confucius* ait: Vir excelsi magnique animi, idemque vir virtutis

tutis solidæ, non flagitat vivere sic ut damno sit virtuti suæ: imò datur qui prodigat vitam ut consummet virtutem.

p. 2. §. 1. *çu cum* discipulus percontatur quâ arte quis evadat probus? *Confucius* respondit: Artifex volens perficere suum opus, haud dubiè priùs acuit sua instrumenta. Commorans in aliquo regno fac servias ejusdem præfectorum sapientioribus: amicitiam contrahe cum ejusdem Regni literatorum probioribus.

§. 2. Discipulus *Yen yven* consulit Magistrum de administrando bene Regno.

§. 3. *Confucius* haud ignarus, quanta, quamque eximia discipuli facultas esset, sic ait: Age res & exige juxta familiæ *Hiá* temporum rationem.

Hac imperante familiâ novilunium illud, quod ab ingressu solis in gradum 15. Aquarii proximè aberat, anni cujusque constituebat exordium quæ ratio temporis quoniam ad Agriculturam, aliosque usus vitæ humanæ hîc valde erat accommodata; Confucio *magnopere probabatur: & verò perseverat eadem hodieque tametsi sub familiis aliquot Imperatoriis subinde fuerit immutata.*

f. 4. p. 1. §. 1. Conscende familiæ *Yn* currum. Fac imiteris, inquam, secundæ hujus familiæ mores antiquos, id est, simplices, rectos, æquabiles, & constantes; quos adeò prodebat cultus ille vulgaris & simplex; & firmitas rhedarum & curruum, quibus Reges, absque pompæ apparatu tunc utebantur.

§. 2. Dum sacris das operam, induere familiæ *Cheu* nunc imperantis tiarâ.

§. 3. Musica verò sit ea quæ *Xao* dicitur cum choris tripudiantium.

§. 4. Missas facito Regni *Chim* cantiones. Procul amanda loquaces: Regni *Chim* cantiones, turpes, loquaces, periculosi.

p. 2. §. 1. *Confucius* ait: Non eminus ac longè res & negotia præmeditans, procul dubio habebit propinquum sibi mœrorem. *Exponunt Sinæ hanc Philosophi sententiam alio proverbio:* Liu pu çai çien li chi vai, çe hoan çai ki sie chi hiá *præmeditatio nisi sit ultra mille stadia, tum calamitas est sub ipsâ mensâ & strato.*

§. 2. *Confucius* ait: Proh dolor! actum est: ego nondum vidi qui gauderet virtute sicut quis gaudet eleganti formâ corporis.

§. 3. *Confucius* ait: Regni *Lu* Præfectus *çam ven chum* nonne ipse furtim & fraudulenter Magistratum gerit, ac tuetur suam dignitatem. Hic enim cum perspectam habeat *Lieu hia hoei* viri nobilissimi sapientiam & virtutem, & quanto is emolumento possit esse Reipublicæ; Regi tamen eum non commendat aut proponit ut promoveatur.

f. 5. p. 1. §. 1. *Confucius* ait: In seipsum graviter, at leviter anim-

advertere in alios, utique procul amovet odia.

§. 2 *Confucius*: Qui non dicit; hoc quomodo? illud quomodo? Ego nescio hujusmodi homine quid faciam. Actum est.

§. 3. *Confucius* ait: Plures simul commorantes per totum diem, si in colloquiis inter se non attingant virtutem; sed gaudeant proferre in medium privatam prudentiam, ô quantum laborabunt!

p. 2. §. 1. *Confucius* ait: Vir verè præstans ex convenientiâ cujusque rei statuit rei fundamentum: Debito cum ritu modoque exercet illam: cum animi modestia demissioneque palàm facit illam: cum fide perficit illam. O virum hujusmodi verè præstantem!

§. 2. *Confucius* ait: Philosophum affligit impotentia sua, non affligit ab hominibus se nesciri.

§. 3. *Confucius* ait: Philosophum affligit occidere sibi vitam, & nomen suum nondum celebrari, aut nihil dignum famâ peregisse.

§. 4. *Confucius* ait: Sapiens causam peccati dataeque offensionis, exquirit ab se: stultus exquirit ab aliis.

f. 6. p. 1. §. 1. *Confucius* ait: Philosophus est quidem severè retinens gravitatis, at non asper & intractabilis: Socialis est, at non qui temerè abripiatur impetu multitudinis.

§. 2. *Confucius* ait: Sapiens nec ob sermonem evehit hominem; nec ob hominem (qualiscumque is sit) aspernatur ac negligit sermonem.

§. 3. *çu cum* sciscitando ait: Num fortè extat unum aliquod vocabulum, secundum quod velut normam quampiam possit quis per omnem vitam operari? *Confucius* respondit: Nonne istud vocabulum est, *Xu*? Scilicet, tibi quod non vis, ne facias erga alios?

p. 2. § 1. *Confucius ait*, Ego agens cum hominibus, cuinam obtrecto? quemnam deprædico? Si datur quod deprædicandum sit; idipsum habet quod prius discutiatur.

§. 2. Moderni, seu hujus ætatis homines, etiamnum gradiuntur rectâ, quâ tres familiæ incedebant, viâ.

§. 3. *Confucius* ait: Ego adhuc attigi Historiographorum succinctum stylum. Tunc habens equum, alteri dabat commodatò, ut conscenderet: At nunc ista obsoleverunt.

f. 7. p. 1. §. 1. *Confucius* ait: Fucati sermones perturbant virtutem; modica impatientia utique perturbat maxima consilia.

§. 2. *Confucius* ait: Multitudo odit quempiam? omnino examinetur. Multitudo gaudet quopiam? omnino examinetur.

§. 3. *Confucius* ait: Homo potest illustrem reddere & magnificare normam rationis: Non autem citrà conatum arbitriumque hominis norma rationis per se valet magnificare hominem.

§. 4. *Confucius* ait : Peccare nec emendare, hoc ipsum dicitur peccare.

p. 2. §. 1. *Confucius* ait : Ego plerumque totos dies non manducem : totas noctes non decumbam, ut vacem meditationi : & tamen nullum propè referam fructum : Non est quid melius quàm operam dare monumentis literarum, in usum scilicet exercitiumque, quæ didiceris, traducere.

§. 2. *Confucius* ait : Philosophus laborat de virtute ; non laborat de cibo ; & verò ipsam Agriculturam, fames subinde sequitur & inspe-rata sterilitas : at in virtutis studio, census & fructus nunquam deficiunt. Quare Philosophus angitur de virtute ; non angitur de paupertate.

§. 3. *Confucius* ait : Prudentiâ assecutus quidpiam, nisi virtute interiori valeas idem conservare, licet fortè adeptus sis, procul dubio amittes.

§. 4. Prudentiâ quidpiam assecutus, & virtute interiori valens conservare ; nisi quoque adhibeas morum gravitatem & authoritatem ad rectè gubernandum ; tum subditi non te verebuntur.

f. 8. p. 1. §. 1. Prudentiâ quidpiam assecutus, & virtute interiore valens conservare, exteriorem item morum gravitatem & authoritatem adhibens ad rectè gubernandum ; nisi moveris subditos convenienti ac debito modo ; nondum perfecta res est.

§. 2. *Confucius* ait : Vir eximius non potest parvis ex rebus, quamvis eas præclarè gesserit, illicò sciri seu statui etiam potens esse seu idoneus ad res magnas suscipiendas & tractandas. Contrà verò à vulgari homine & modicis naturæ dotibus instructo, non debent exigi res magnæ, nedum suscipi ; & quid possit ipse in modicis vulgaribusque rebus, cognosci debet, alioqui.

p. 2. §. 1. *Confucius* ait : Populo in virtute plus est quàm in aquâ & igne. Aquam & ignem ego vidi qui calcaret & periret : nondum vidi qui insisteret virtuti & periret.

§. 2. *Confucius* ait : Suscipiens excolendum virtutibus animum, non cedat Magistro, primasve in virtutis studio deferri patiatur.

§. 3. *Confucius* ait : Vir perfectus rectus & constans est, at non pervicax.

§. 4. *Confucius* ait : Serviens uti servire par est, Regi, ante omnia & præ omnibus cordi habet quæ sui muneris officiique sunt ; ac postponit his censum suum, suaque stipendia.

f. 9. p. 1. §. 1. *Confucius* ait : Sit institutio sine discrimine.

§. 2. *Confucius* ait : Viâ discrepantes, haudquaquam inter se convenient ad consultandum quidpiam.

§. 3. *Confucius* ait : Verba percipiantur (*seu verborum nuda veritas absque fuco & ætatis nostræ luxuriosa elegantiâ*) & hoc sufficiat.

§. 4. Magister musices, *Mien* nomine, *Confucii* visendi gratiâ venerat. Accedenti itaque ad gradum quempiam, hospiti (quippe qui cœcus erat) *Confucius* admonens illicò dicebat; hîc gradus est: Eidem verò jam progresso in aulam excipiendis hospitibus destinatam, & accedenti ad stoream. *Confucius* iterum dicebat: Hîc storea est. Mox inde Magistro illo musices, cæterisque hospitibus pariter considentibus, *Confucius* eundem commonefaciebat dicens: Titus existit sive considet ab hac parte: Sempronius existit ab illa parte; ut aptius scilicet fungeretur debito cuique salutationis & honoris officio.

§. 5. Magistro *Mien* jam egresso, discipulorum unus cui *çu cham* nomen erat, quæsivit ex *Confucio* dicens: Cum Magistro musices sic loquendi & agendi an etiam datur regula ex principiis nimirum Philosophiæ suæ?

§. 6. *Confucius* respondit: Est hæc sanè juvandi cœcos Magistros regula, olim scilicet instituta.

p. 2. §. 1. In Regno *Lu* tres erant præpotentes ac nobiles familiæ, quæ tantum non rebellantes contra suum Regem, quatuor Regni ditiones inter se partitæ fuerant. Earum unam *Mem sun* invaserat, alteram *Xo sun*; tertiam verò quartamvè Regni Præfectus *Ki* potentior utrisque sibi vindicarat. Quibus haud contentus, (ut est insatiabilis dominandi libido) aliam quoque dynastiam in ejusdem Regni meditullio sitam, & clientelari jure eidem obnoxiam meditabatur invadere. Hic itaque *Ki xi* seu *Ki sun* erat in procinctu ut bello peteret dynastiam *chuen yu*.

§. 2. *Gen yeu* & *Ki lu* adstantes coram *Confucio* dicunt: *Ki xi* Domino nostro proximè futura est res cum *chuen yu* Dynastâ: Ambo erant discipuli *Confucii*, & tunc fortè Magistratum gerebunt; nec probabant hujusmodi invasionem.

§. 3. *Confucius* ait: *Kieu*, nonne est tuum quoque hoc crimen?

f. 10. p. 1. §. 1. Belli porrò arguens injustitiam, ex tribus maximè capitibus eam probat. Hanc (inquit) dynastiam *chuen yu*, olim prisci Imperatores familiæ *Cheu* fecerunt montis *mum cum* in eadem siti ditione dominam, ubi dynastæ curam habent sacrificiorum, quæ spiritui montis præsidi rite fiunt. Deinde sita est in medio terminorum Regni. Est denique regiæ domui familiæque subjecta & clientelaris, quo pacto igitur, & quo jure illam sibi vindicet improbus, & invadat?

§. 2. Discipulus *Gen yeu* hâc oratione Magistri sui jam doctior, sic ait: *Ki xi* Dominus noster vehementer expetit illam ditionem: Nos quidem ambo ejusdem Ministri ac subditi pariter haud desideramus aut approbamus.

§. 3. *Confucius* ut doceat oportere eos, quod animo damnent, verbis quoque

quoque factisque arguere & damnare; & si quidem monendo arguendoque non proficiant, muneri suo renunciare, sic ait: mi discipule *Kieu*, antiqui illius & celebris Historiographi *Cheu gin* extat sententia per quam apposita ad rem nostram: Si cuipiam, inquit, suppetunt vires ac facultates ad gerendam Rempublicam, adeat sanè munus publicum: non autem valens præstare quæ sunt officii sui, sistat, & gradu, si quem fortè obtinet, sese abdicet: Is etenim præcipitio proximus periclitatur, & tamen non manu tenetur, seu non monetur, quia moneri scilicet impatiens est: Prolabitur, & tamen jam labens non manu fulcitur: quia nimirum non est qui audeat manum admovere, constatque præcipitem abire velle. Hujusmodi ergo cœco vel amenti veriùs, cui tandem sit usui iste adjutor vel ductor?

p. 2. §. 1. Atque adeo tu quod dicebas modò, invitis vobis & improbantibus parari bellum, sic ut crimen omne in præfectum derivaretur; hoc ipsum alterum est crimen tuum; & eo quidem turpius, quò turpiori cum errore conjunctum. Quæro enim abs te, tigris quæpiam, aut bubalus sylvestris evasit extra septa, repagulaque sua; testudo item raræ artis, aliave pretioso è lapide supellex si damnum passa periit, quamvis in arcæ medio reposita: Fuga hæc, & damnum hoc cujus tandem erit crimen? Numquid ejus cujus fidei & curæ commissa tam septa, quàm supellex fuerat?

§. 2. Discipulus *Gen yeu* intelligens hoc argumento agi se reum, suam pariter ac Domini sui causam specioso necessitatis ac justitiæ nomine tuendam suscipiens, sic ait: Nunc ditio hæc *chuen yu* fortis ac munita est, & fieri potest ut munitior evadat in dies: Nunc illa vicinis suis non est infesta, sed ecquis spondeat nullo unquam tempore futuram? Porrò eadem vicina est finitimaque *Pi* avitæ ditioni & patrimonio *Ki xi* Domini mei. Quocirca si nunc eam, quando potest, tempusque & fortuna favet, non occupat ac facit juris sui; olim procul dubio erit illa filiorum ejus ac nepotum acerbus dolor ac sera pœnitendi materia.

§. 3. *Confucius* patefacto hunc in modum ulcere tam discipuli quàm præfecti; verus, inquit, ô *Kieu*, Philosophus odit & execratur ejusmodi hominem tergiversantem ac nolentem candidè profiteri cupiditatem suam, aliosque morbos animi occultantem sollicitè, & interim violenter prætexentem verba, seu verborum ambages, quibus veritatem eludit.

§. 4. Audi nunc igitur, quid ego sentiam. Ego sic audivi semper eos qui habent Regnum vel dynastiam; vel, qui habent amplam splendidamque familiam, si quidem probi sint ac sapientes, non sobere angi animo & discruciari paucitate subditorum, quibus imperitant: sed discruciari & angi quod non obtingat suum cuique

prout jus & ratio postulat; audivi item non angi illos, quòd penuriâ rerum laboret sua ditio sed angi & affligi quòd non fruatur optatâ pace & concordiâ. Et meritò sanè, quippe si tollantur expensæ inutiles, si luxus immodici prohibeantur, & cuique tribuatur quod æquitas postulat; quamvis alii aliis opulentiores futuri sint, non erunt tamen inopiâ vel mendicitate laborantes: Ubi item viget concordia, ibi nulla est paucitas, ibi vastitas nulla: Quamdiu verò fruentur concordiâ, fruentur & pace, quæ ex illa nascitur: At vigente pace & tranquillitate, nullus erit ruinæ locus, vel gravioris cujusque calamitatis periculum.

f. 11. p. 1. §. 1. Tria hæc, justitia, concordia, tranquillitas, si eo modo, quo dixi, se habeant, ac vigeant: Tametsi fortè remotiores populi jugo tam suavi non se subjiciant; tum quidem hoc erit agendum, ut perficiantur magis ac magis, & perpoliantur quodammodo virtutes Regiæ, ut sic adveniant tandem exteri non dolo victi, non armis, sed famâ virtutum. Ubi verò sic advenerint, & in jus ditionemque tuam transierint; tum commodis eorum quietique amanter consulas.

§. 2. Nunc autem, ô discipuli mei *Yen*, & *Kieu*, adjutores estis vos quidem, & consiliarii *Ki xi* Domini vestri. Sed quo tandem operæ pretio, quo fructu? Alienigenæ non modò non parent vobis: sed quoniam apud vos desideratur vera virtus, neque possunt imperare sibi ut ad vos migrent. Regnum *Lu* miserabiliter divisum concidit, distractumque in partes, & factiones, tantum non periit funditùs, atque adeo non potest ipsum jam diutiùs conservari.

p. 2. §. 1. Et quasi hæc non sufficiant ad calamitatem, interitumque publicum; nunc etiam molitur Præfectus ille nova movere arma; & quidem sic, ut in ipsis Regni visceribus atrox bellum exardescat. Sed ego sanè vereor ne familiæ *Ki* nepotum dolor, seu ruina, non existat seu inferatur à finitimâ ditione *Chuen yu*; Sed existat ex ipsorummet domesticorum parietum visceribus, suoque ipsa tandem consumatur incendio.

§. 2. *Confucius* ait: Imperio pacatò & cum authoritate administrato protinus oratio officiorum musicæ & bellicæ expeditionis ab Imperatore procedunt: Imperio perturbato, jam ratio officiorum musicæque & bellicæ expeditionis à Regulis procedunt, à Regulis si procedunt, tum quidem decem ætatum spatio, paucissimi ex his erunt qui non amittent Regnum suum. A Præfectis si procedunt, quinque ætatum spatio paucissimi erunt qui non amittent. Domestici clientes si usurpârint regni dominatum, trium ætatum spatio paucissimi erunt qui non amittent malè parta.

f. 12. p. 1. §. 1. In Imperio si vigeat lex, tum absoluta administratio non erit penès Præfectos: quippe quæ nec penès ipsos Regulos sit futura.

§. 2. In Imperio si vigeat lex, tum populus non immittet se in consilia publica: Quippe subditi omnes lubenter ac certatim cum eâ conformabunt sese administrandi normâ, quam intelligent ad normam cœli, rectæque rationis esse exactam.

§. 3. *Confucius* ait: Vectigalia abscesserunt à Regiâ domo per quinque generationes: Administratio pervenit ad præfectos per quatuor generationes: Ideò isti tres Regis *Von cum* posteri attenuati sunt. Confirmare videtur hic *Confucius* ea quæ dixerat, exemplo domestico *Lu* Regni patrii, in quo Reges ordine duodecim imperitârunt. Etenim post obitum sexti Regis *Ven cum* occiso ejusdem filiolo & hærede legitimo, evectus est ad Regnum frater occisi *Siven* dictus. Ex illo tempore Regni istius administratio cœpit concidere, & vectigalia transierunt à domo Regiâ ad privatas Præfectorum familias; qui freti nobilitate suâ, quòd ex stirpe *Von cum* secundi Regis oriundi essent; Regium jus paulatim sibi vindicârunt.

p. 2. §. 1. *Confucius* ait: Utiles sunt tres amici: Perniciosi tres item amici. Amicus rectus; amicus fidelis; amicus multa audiens, utiles sunt. Amicus exterius solùm compositus & gravis: Amicus blandus ac mollis; amicus loquax & garrulus, perniciosi sunt.

§. 2. *Confucius* ait: Utilia sunt tria gaudia: Perniciosa, tria gaudia. Gaudere debito usu officiorum musicæque: gaudere proloqui aliorum rectè dicta & facta: gaudere multorum sapientum amicitiâ, utilia sunt. Gaudere superbiæ vanitate: gaudere otio vitæque licentiâ: Gaudere epularibus jocis ac voluptatibus, perniciosa sunt gaudia.

f. 13. p. 1. §. 1. *Confucius* ait: Assistentium Principi dantur tria peccata. Verba sciscitantis principis si nondum pertigerint, seu referantur ad te solum, & tamen loqueris, dicitur præcipitantia: si verba pertigerint, & tamen non loqueris dicitur morosa & inutilis taciturnitas, si præviè nondum observaveris faciem, & tamen loqueris, dicitur cœcitas.

§. 2. *Confucius* ait: Sectator virtutis habet tria sibi cavenda. Adolescentiæ tempore, sanguine & spiritibus necdum consistentibus, quod cavendum, est res venerea. Provectus ad suam maturam ætatem, sanguine spiritibusque jam corroboratis, quod caveat, sunt rixæ. Provectus ad suam senectutem, sanguine spiritibusque jam languentibus, quod caveat, est cupiditas habendi.

p. 2. §. 1. *Confucius* ait: Sapiens ac probus habet tres timores: Timet Cœli mandatum, timet magnos viros: Timet Sanctorum verba.

§. 2. Improbus ac stultus non agnoscit Cœli mandatum, adeoque nec veretur. Aspernatur magnos viros: Explodit Sanctorum verba.

Colaus sententiâ verè Christianâ longam explanationem concludens docet, timores modò memoratos ad unum maximè timorem reduci omnes; eum scilicet, quo revereamur cœlum, & non amplius: Kim tien lh y *Confirmat hoc autem exemplis Pristorum, qui omni cum reverentiâ & tremore, curâ item vigilantiâque prorsus singulari gerebant sese adversùs cœlum, & quidquid eis à cœlo conferebatur.*

§. 3. *Confucius* ait: Qui nascuntur & hoc ipso scientes sunt, haud secus ac si cum ipsâ vitali aurâ & spiritu scientias rerum hausissent, supremi ordinis sunt censendi sapientes. Qui discunt autem, & operam dant Magistro, & hoc pacto evadunt scientes, à primis illis secundi sunt. At qui hebetiores sunt, & tamen discunt improbo labore & constanti, hi rursus ab eis, quos proximè memoravi, secundi sunt. Jam verò qui hebetes sunt, & tamen non discunt, in vulgo hi censentur infimi & inutiles; quamvis alioqui sint homines integri & innocentes.

f. 14. p. 1. §. 1. *Confucius* ait: Virtutis ac sapientiæ studiosus adhibet novem considerationes. Dum conspicatur quidpiam, seu lustrat oculis; meditatur perspicaciam, id est clarè, probèque percipiendum sibi esse, quod oculis objicitur. Audiens quidpiam, meditatur acutam vim audiendi, probeque percipiendi voces, & vocum significationes. Ad speciem habitumque oris quod attinet, meditatur serenam quandam placiditatem, quâ non alius color est, qui animos sibi potentius suaviusque conciliet. Quod attinet ad statum & conformationem totius corporis, meditatur gravitatem cum reverentia conjunctam. Ubi loquendum est, meditatur fidem ac veracitatem; quâ lingua scilicet cordi respondeat. Dum agit quidpiam ac molitur, meditatur sedulitatem. In rebus dubiis ac perplexis, secum meditatur ipse, quem consulat potissimùm, & quâ ratione sibi lumen petat in illa caligine. Concitari sentiens animum iracundiâ, & studio contentionis ac vindictæ, maturè secum ipse reputat incommoda, damnaque nasci solita. Videns offerri copiam rei familiaris augendæ, protinùs ob oculos sibi ponit jus & æquum.

§. 2. *Confucius* ait: Contemplare alterius quod bonum est, tanquam eò nondum perveneris: Contemplare alterius, quod malum est, tanquam si contingeres bullientem aquam. Ego vidi ejusmodi hominem: Ego audivi ejusmodi proverbium.

p. 2. §. 1. Privatus adhuc degens, tum præparat suas rectè gubernandi rationes & industrias: Post verò publico fungens officio fidelis administri, tum scilicet exercitat suas, quas præmeditatus fuerat, rationes & industrias. Ego audivi hoc proverbium: at necdum vidi ejusmodi hominem.

§. 2. Regni *çi* Regulus *Kim cum* habuit equorum mille quadrigas, & tamen à mortis, quâ violenter sublatus est, die, populus non invenit

venit in eo virtutem, quam in eo celebraret. *Pe y* & *Xo ti* inediâ consumpti fuerunt ad montis *Xeu yam* radicem; populus usque modò illos celebrat.

§ 3. Quod igitur alii sint in oblivione, uti Regulus *Kim cum*; aliorum verò memoriam, uti duorum, quos dixi, fratrum, posteritas omnis conservet, nonne hoc ipsum est quod dicebam?

§. 4. *Chin cam* discipulus *Confucii* quod putaret plura & secretiora cum filio communicaret pater, quàm cum reliquis discipulorum; adit explorandæ rei gratiâ filium ejusdem unicum, idque sciscitaturus ab ipso *Pe yu* (nomen est filii) sic ait: Condiscipule etiamne fortassis habes arcanum quodpiam & extraordinarium documentum, clam nobis scilicet, uni tibi suggestum à patre?

f. 15. p. 1. §. 1. *Pe yu* respondit: Adhuc quidem non audivi ex patre meo arcani quidpiam: nec enim mihi propriam impertit vel operam vel doctrinam. Semel dumtaxat, cum domi solus consisteret, me nescio quò pergente properantius ac fortè transeunte per aulam, ubi pater consistebat, percontatus est ipse, studesne, fili, libris Odarum. Respondi ego candidè; necdum me studere. Tum pater, si nunc, ô fili, non das operam libris Odarum pervolvendis; non habebis quidpiam facultatis aut copiæ quo instituas sermonem viro gravi & Philosopho dignum. Quod audiens ego protinus abii, & operam dedi libris Odarum ediscendis.

§. 2. Alio die pater meus rursum solus cùm consisteret, & ego fortè properarem ac transirem per aulam, percontatus est; fili studesne libris officiorum, rituumque civilium? Respondi: Necdum me studere. Hic itaque rursus pater: Nisi des operam libris istis; non habebis quo vir evadas, & inter cives tuos emineas. Quod ego audiens, nihil cunctatus, abii, & operam dedi libris Officiorum.

§. 3. Audivi hæc duo à patre; nec quidquam præterea diversi ab iis, quæ palàm vos docet.

§. 4. Discipulus *Chin cam* his auditis abiit, ac lætus, sibique ipse gratulatus ait: Quæsivi de re una, & assecutus sum tres. Audivi quippe de libris Odarum: audivi de libris Officiorum & rituum, præterea didici exemplo *Confucii* nostri, viros verè præstantes removere ab se, seu ab sensu, fructuque privatæ dilectionis ipsum quóque filium: non ei plus impertiendo vel operæ, vel doctrinæ, quàm cæteris discipulorum.

Miratur Interpres V, *& secum ipse disquirit causas, cur hic paragraphus, aliique non absimiles parvi sanè momenti proferantur in medium: ideone fortassis, quod extent in codicibus authenticis, maximeque vetustis? An quod revera* Confucius, *dum Priscorum ritus & officia suis exponebat, minutissima quæque soleret persequi; sicut in hoc quidem para-*

grapho dici potest persecutus esse, ubi sic ait: Ejus qui amplioris cujusdam ditionis est Princeps, ex. gr. Reguli, Satrapæ, dynastæ uxorem, Princeps maritus suus compellans vocat consortem, conjugem, seu adjutorium. Hæc autem Principis conjux seipsam coram marito suo nominans, debitæ submissionis, modestiæque memor dicit: Ego rudis puella. Jam verò ditionis hujus homines ac subditi compellantes eam, vocant Reginam conjugem, sive Principis adjutorium; quia nimirum Palatii domestici, familiæque Regiæ gubernatrix est. Sicut ipse Princeps, totius gubernator est ditionis. Rursus hæc ipsa Princeps fœmina sese nominans coram exteris ditionibus, id est, legatis earum, vel etiam Principibus, dicit: Ego modicæ virtutis parvula Princeps. Exterarum verò ditionum homines ac legati nominantes eam sic etiam, ut ipsimet subditi, vocant Reginam conjugem, sive, Principis adjutorium.

Fuit ab omni retro memoriâ, estque hâc etiam ætate propè incredibilis apud Sinas & varietas, & copia nominum, quæ pro ipsâ varietate vel loci, vel temporis, vel conditionis; item pro arbitrio Principis tunc imperantis, alia tribuuntur atque alia, unis & eisdem non hominibus modò, sed etiam familiis, ditionibus, urbibus, muneribus publicis, dictisque ipsis hominum & factis. Nec minor etiam modestia est, gravitas, & reverentia, quæ copiâ illâ & varietate continetur: quodque magis est mirandum, nullus ordo vel sexus est hominum, ætas propè nulla, necinter sylvas ac montes tam rudis & agrestis quidpiam, qui non ipso propè cum lacte nutricis, usum aliquem varietatis hujus copiæque perceperit.

Quod etsi videri possit haud necessarium pluribus exemplis declarari; quando nobis hi libri, quos habemus in manibus, non pauca suppeditant: juverit tamen vel oblectandi Lectoris gratiâ brevibus exponere, quid nos ipsos, qui ex Europâ in Chinam venimus, discere coëgerit, & exercitare cogat usu propè quotidiano Sinensis illa comitas, elegantiaque civilis.

Quotiescumque ergo contingit sociorum aliquem cum ipso gentis Imperatore loqui, non aliter ferè quàm Yven chin *vel simpliciter* Chin, *id est, advenam è remotis terris subditum sese nominat. Ipse verò Princeps nos alloquens vel pronomine tu; vel nomine vulgari nostro. Imperatorem nos, uti Sinæ omnes,* Van sui *compellamus, quibus vocibus acceptissimum longè ætatis votum, annorum scilicet myrias continetur. Jam si cum Regulis, aut Colais Imperii, qui summus est Magistratus, sermonem habemus, pari ferè modestiâ, nobis quidem* Liu gin, *peregrinorum nomen tribuimus; Regulis verò titulum* Vam ye, *Principis ac Domini; necnon* çien sui, *quo ipsis mille annos vitæ precamur: Colais autem* Lao ye, *Dominorum honorificum damus nomen; & vicissim ab his quidem* Sien sem, *id est, seniorum; sive Magistrorum nomine plerumque honoramur: Regulis interim eâdem, quâ ipsemet Imperator ratione nos compellantibus.*

Quoniam verò cæteri Magistratuum, à quibus administrantur Imperii partes omnes, alii censentur literarii, militares alii; hos quidem non alio ferè nomine quàm Lao ye, *Dominorum nuncupamus: Illis autem vel hoc ipsum, vel certè* Lao sien sem, *id est,* Seniorum Magistrorum *grave imprimis & honorificum tribuimus. De nobis verò ipsis loquentes, non alio ferè quàm* Hio sem, *id est, Discipulorum, & si quando major usus ac familiaritas intercesserit;* Siao ti, *fratrum natu minorum nomine utimur: Ipsis vicissim pari cum significatione & modestiæ & honoris Magistrorum nobis, discipulorum sibi, fratrumve nomen dantibus. Nec absimilis comitatis ratio observatur cum quovis homine, qui vulgo sit honoratus; tametsi publico munere non fungatur. Quamquam non desunt etiam, qui nos aliquanto familiarius nomine* Siam cum, *quod Baccalaureorum est proprium, & hodie quidem perquam vulgare. Neophyti denique, si quidem literati sunt,* Lao su, *seniores Magistros nos vocant: si de vulgo, Dominos.*

Ubi verò ad pœnitentiæ tribunal acceditur, Xin fu, *spirituales Patres & hoc quidem loco omnes omnino, (multi etiam quovis loco & tempore)* çui gin, *id est, peccatores se nominant: Plerumque tamen Neophyti literati* Muen sem, *discipulorum; famuli vero, aliique infimæ plebis, humillimo* Siao tie, *homuncionum vocabulo coram nobis utuntur; sic ut præter Imperatorem ac Regulos nemo ferè sit omnium, qui pro nominibus* Ngo, ni, *id est, ego, tu, uti sustineat. Porrò eadem est ipsorum inter se, quæ nobiscum comitatis, officiorumque ratio: Nisi quod hominibus exteris plus honoris & primum locum largiri soleant.*

Universim autem, quotiescumque de rebus ad se pertinentibus sermonem faciunt, non modo perquam modestè loquuntur; sed vocabulum ferè adnectunt humilitatis ac modestiæ significatissimum, sic Pi que, *humile Regnum suum patrium:* çien çu *vile nomen:* Siao lh, *parvum filium; ipsum quoque morbum, si de valetudine quæsitum fuerit* çien yam, *vilem abjectumque nuncupant. Hospitis vero patriam honorificam,* çun que *vel* quei que: *nomen sublime,* cao sim: *sobolem ingeniosam,* Lim lam: *morbum denique ipsum, quantumvis teter fœtidusque fuerit, modo* quei yam *pretiosum, modo* çun yam, *honorandum vocant. Quoties patrem suum aut matrem quis coram aliis nominat* Kia fu, Kia mu, *id est, familiæ patrem, & matrem nominat. Hospitis vero pater* Lim çun *vester honor, mater vero* Lim tam *vestra aula (domestica scilicet): propria verò domus aut familia* Han kia *frigida seu pauper domus, alterius* quei kia *honorata nuncupatur, & sic de cæteris, quæ tam in familiari sermone, quam in epistolari stylo, qui à quovis alio multum differt, ubique passim observantur.*

LIBRI TERTII

PARS NONA

Fol. 1. p. 1. paragr. 1.

YAM *ho* (Præfecti *Ki*, subditus ac minister) desiderabat prior visitari à *Confucio* : Sed *Confucius*, quod intelligeret hominem esse turbulentum, & è familia illius, qui jus & authoritatem Principis legitimi per vim sibi vindicabat, eum non visit. Interim *Yam ho* munus epulare misit ad *Confucium*, porcellum scilicet, more gentis tunc usitato. Obstrictus hoc munusculo *Confucius*, cum non posset salva lege humanitatis non adire hominem, gratias acturus; de industriâ captavit tempus quo ipse non esset domi, eoque tunc perrexit salutaturus : Quando ecce occurrunt sibi mutuò in ipsa via.

§. 2. *Yam ho* protinus alloquens *Confucium* ait : Veni, obsecro; nam ego tecum sermonem habeo, quem conferam. Mox ait: Si quis recondat in sinu suo, servetque sollicitè suam quampiam gemmam pretiosam, & interim perturbatum sit afflictumque patrium ipsius Regnum; nec velit tamen eam venundare, quo medeatur publicæ calamitati. Hujusmodi qui sit, an poterit dici pius? Respondet *Confucius* : non poterit, ejusmodi qui sit, dici pius. Instat alter : si quis gaudeat ac vehementer optet agere semper aliquid ac moliri quod prosit Reipublicæ, & interim oblatam sæpius negligat ac perdat occasionem. Hujusmodi qui sit, an poterit dici prudens? Respondet *Confucius* : Non poterit dici prudens. Hic alter concludens, dies, inquit, & menses torrentis instar præterfluunt; & tamen de annis tuis nihil mihi nec flagitanti tribuis? Quin expergisceris, & tui studioso, tibique ipsi, & patriæ tuæ consulens, Magistratu fungeris? Ad hæc, ut expediret se ab importuno hortatore *Confucius* ait; Bene habet; ego susceptturus sum Magistratum.

p. 2. *Confucius* ait : Homines natura & rationis lumine inter se mutuò proximè conjuncti, studiis sæpè moribusque inter se longissimè distant.

f. 2. p. 1. §. 1. *Confucius* ait : Soli illi qui ipsa cum sapientia & probitate nati sunt : Sicut & illi qui ipsa cum ruditate & improbitate nati sunt, per mutuum commercium haud facilè mutantur.

§. 2.

§. 2. *Confucius* die quodam perveniens in oppidulum *Vu chim*, quod *çu yeu* discipulus ejusdem gubernabat; fortè audivit oppidanorum perquam operosè fidibus canentium symphoniam prorsus ad normam & gravitatem illam Priscorum institutam.

§. 3. *Confucius*, quasi miraretur institui musicam tam gravem, tamque operosam in tam ignobili oppido; leniter tunc subridens, utensque vulgari proverbio, ait: Jugulaturus gallinam, quorsum utaris bovis cultro? Quasi dicat: non capiunt angustiæ loci hujus tantum musices apparatum & majestatem.

p. 2 §. 1. Loci Præfectus, idemque musicæ exercitationis author *çu yeu*, cum existimaret illam seriò improbari à Magistro, Respondit in hunc modum. Olim ego audivi sæpe numero ex te Magistro meo, cùm diceres: Præfectus aliorum, si quidem studiosus sit virtutis ac sapientiæ; utique amat suos, erudit, tuetur, ac fovet. Plebs vicissim exemplo studioque Præfecti sui provocata, pro suo quoque modulo & ipsa studiosa si sit virtutis ac sapientiæ; utique facillimum erit ei imperare & in officio continere omnes.

§. 2. *Confucius* advocatis discipulis suis ait: O vos duo tresve quotquot estis, discipuli mei: hujus condiscipuli vestri *yeu* oratio vera est, & rationi consentanea. Quod ego paulò ante sic locutus sum joci certè & animi gratiâ scilicet, ac tentaturus ipsum feci: neque enim sum ignarus, vigorem illum legum, ad oppida quoque pertinere.

§. 3. Alter ejusdem familiæ *Ki* Regium jus affectantis assecla & Minister *Cum xan fœ jao* dictus, cùm in *Pi* oppido Regni *Lù* rebellio exorta esset, accivit *Confucium* è Regno *çi*, misso ad eundem munusculo. *Confucius* desiderabat eò pergere, quòd speraret adventu suo opitulari se posse periclitanti patriæ.

§. 4. E contrario discipulus *çu lu* non gaudens *Confucium* eò pergere; Magister, inquit, non est quòd pergas, quæ, obsecro, necessitas est hominis istius *Cum xan* familiam adeundi?

§. 3. p. 1. §. 1. *Confucius* quod sciret memoratum *Cum xan* movere arma contra *Ki xi*, suum ipsius Dominum; non autem contra legitimum Regulum Regni *Lu*, respondit: quod hic ultro vocet me, & tanta cum significatione honoris, quomodo sine causâ faciat? Si datus in quo utatur me, quorsum occasionem hanc de afflictâ patriâ merendi benè elabi Sinam? Quid si ego ex hoc Regno *Lu* efficiam atque erigam Orientalem, id est, novam, familiam *Cheu* ad normam scilicet Occidentalis?

§. 2. *çu cham* discipulus percontatus est de verâ germanâque virtute *Gin* dictâ ex *Confucio*. *Confucius* respondit: Quisquis novit ac valet perficere ac servare quinque in ordine ad Imperium, is procul dubio prædius est virtute, de quâ quæritur. Hic rursum discipulus

rogavit, quænam essent illa quinque. Sunt, inquit, *Confucius*, vigilans observatio suiipsius; amplitudo clementiaque animi; fides atque veracitas; assiduitas ac diligentia; amor ac beneficentia: Quippe si geras te graviter ac maturè semper & ubique, jam non erit qui te negligat aut contemnat; contra verebuntur omnes & colent. Si magni, liberalis, clementisque animi fueris; jam obtinebis omnes, omnium, inquam, studia, amores, voluntates. In verbis factisve fidem si præstiteris, jam homines omnes tibi nitentur securi, tuæque fidei se pariter ac sua committent. Si velox, impiger, & alacriter sedulus fueris in tractandis negotiis, jam habebis res perfectas; & ad exitum perduces optatum. Denique si fueris beneficus & amans tuorum, jam certè sufficiet hæc, ut imperes tuis felicissimè.

p. 2. §. 1. Regnum *çin* sex è primoribus administrabant non sine magnâ rerum perturbatione: Duo quippe illorum *Fan chum*, & *Kien çu* non modò consiliis animisque dissidebant; sed etiam copiis & armis: sub hoc autem magistratum gerens *Pie hie* accivit *Confucium*; *Confucius* desiderabat ire.

§. 2. Discipulus *çu lu* dissuasurus Magistro suo profectionem, sic aiebat: quondam *Tseu*, id est, ego, audivi ex te Magistro meo, cum diceres: In suâ ipsius personâ agentem improbè vir probus non adit. Veretur enim, ne ex consuetudine ipsius, damnum patiter ac probrum accersat sibi: Nunc vero qui te invitat *Pie hie* unà cum ditione *Chum meu* dictâ molitur rebellionem: quorsum obsecro, tu ô Magister pergas ad hominem ejusmodi?

§. 3. *Confucius* respondit: Sic est; fuit hic mihi quondam sermo tecum. Sed nonne dixi quoque aliquando rem durissimam, eam quidem raro teri nec tamen frangi; atteri & consumi? non item dixi persæpe de re in se candidissimâ, atro colore tingi quidem; intrinsecè tamen non nigrescere, nec amittere unquam nativum candorem.

f. 4. p. 1. §. 1. Ego qui cessare queam inutilis ac iners? Ego quomodo sim magna quædam & amari saporis cucurbita? Qui, inquam, possim, vel sustineam animo cucurbitæ illius instar manere suspensus & immotus, & qui non manducer, pascam neminem, prosim nulli? cæterùm non adivit hominem Philosophus, quod postea intelligeret hominem esse ejusmodi, cui mederi non posset.

§. 2. Ad latus Magistri sui fortè consederat discipulus *çu lu*, studiosior ille quidem laudis bellicæ, quam literariæ. *Confucius* ait: Discipule mi, *Tseu*: Num tu audivisti aliquando sex virtutum magis illustrium, nomina? Sex item vitiantia seu obscurantia ipsas virtutes? Discipulus assurgens respondit: nondum audivi.

§. 3. Tu ergo paulisper hic consiste, inquit *Confucius*, quoad ego exponam tibi.

§. 4. Qui gaudet amplissimo charitatis sinu complecti omnes, & de nullo non mereri bene, nec gaudet interim discere, quis esse debeat charitatis istius usus ac modus: hominis hujuscemodi vitium, in quod scilicet ipsa virtus degenerabit, erit ruditas, cæcitasque, dum scilicet cæco impetu benevolentiæ, ceu vento incitatus, sine judicio vel modo beneficia delaturus sit. Qui gaudet prudentiâ, seu veri perspicientia; nec gaudet interim discere, & indagare atque consulere; hominis hujuscemodi vitium erit perpetua quædam ambiguitas & incertitudo fluctuantis animi. Qui gaudet fide, seu dictorum conventorumque constantiâ & veritate; nec gaudet interim discere, tempus & modum scilicet: hominis hujuscemodi vitium erit crebra & gravis offensio, cum damno vel suo vel aliorum. Qui gaudet rectitudine & candore, dolos autem & ambages, & quidquid fictum est ac simulatum, odit; nec gaudet interim discere, quis hîc quoque modus servari debeat; hominis hujuscemodi vitium erunt angustiæ coarctari animi & tricæ perquam difficiles, in quas eum nimis candidum & dissimulare nescium, tum simplicitas sua, tum fraus aliena conjiciet. Qui gaudet generosè ac fortiter quislibet agere & pati; nec gaudet interim discere, quis virtutis hujus sit usus ac modus: hominis hujuscemodi vitium erit insolentia, Reipublicæ perturbatio ac rebellio. Qui gaudet adamantino quodam robore animi atque constantiâ; nec gaudet interim discere, ubi, quando, quomodo, quantâ cum moderatione sit adhibenda: hominis hujuscemodi vitium erit stultitia & amentia.

Cap. 2. §. 1. *Confucius* adhortans discipulos suos ad studium Priscorum Poëmatum, ô, inquit, filioli, quare non studetis istis Odarum libris?

§. 2. Etenim si humi repimus, si jacemus inutiles atque inglorii, per odarum documenta, possumus erigi quodammodo, & assurgere ad verum decus.

§. 3. In odis, velut in speculo, possumus contemplari, quid nos maximè deceat; quid rursum dedeceat: hæc autem contemplando permoveri salubriter.

§. 4. Odarum præsidio possumus sociales evadere, & affabiles, & jucundi. Ut enim musica sonos aprè temperat; sic & Poësis ista motus & appetitus nostros.

§. 5. Possumus odisse sine iracundiâ vel alterum quemcumque naturæ morum sentire, & tamen citra vitium sequi.

§. 6. Eædem nos docent, quo pacto domi serviamus patri; absentes verò & procul à domo serviamus & Principi.

§. 7. Ad extremum, beneficio illarum, plenam, voluptaris, & uberem imprimis notitiam acquirimus de proprijs avium, quadrupedum, herbarum, arborumque nomnibus, ac naturis.

§. 8. *Confucius* alloquens *Pe yu* filium suum ait: Num tu te exercitas in primis odarum capitibus *Cheu nan* & *Chao nan* dictis, quisquis haud exercitat sese in capitibus *cheu nan* & *chao nam* (inquit) hic similis est hominis directâ ad parietem facie consistentis, id est, inutilis ad omnia, utpote qui nec uno passu queat progredi, nec quidquam rerum contemplari.

Continetur istis odis epithalamium Reguli Ven vam, *sponsæque ejusdem* Tai gin *virginis à prudentiâ & virtute celebratissimæ, quæ mater deinde fuit* Vu vam *conditoris tertiæ familiæ* Cheu, *qui imperare cœpit anno ante Christum 1122. Porrò celebrantur laudes utriusque conjugis, quod primùm quidem de suo ipsorum animo virtutibus excolendo sapienter laboraverint; tum de familiâ rectè instituendâ; ac denique de Regni totius ad Septentrionem siti administratione: cujus præclaram normam ad australia quoque regna deinde traduxerint.*

f. 5. p. 1. §. 1. *Confucius*, priscorum textuum buccinatores hypocritas non sine quodam sarcasmo ferens, quorsum, inquit, illæ tot citationes & mera verba *liber Officiorum ac rituum ait*: *Liber Officiorum ac rituum ait*? Num fortasse vasa ista pretiosa variaque insignia dignitatum, & vestes sericæ vobis aiunt quidpiam? Rursum *Musicorum liber ait*, *Musicorum liber ait*; ecquis tandem liber? Num æra campana, num tympana quid officii vestri sit, vobis aiunt? Pulcherrima interim documenta, quorum maximè causâ majores nostri ritus & musicam instituerunt, vitâ certè, moribusque non exprimitis.

§. 2. *Confucius* ait: Qui oris externa specie graves, constantes, severi sunt; & tamen intus, in animo, inquam, suo mobiles & flaccidi, ii rectè comparantur cum abjectis & improbis quibusdam hominibus, qui cùm reverà nocturni fures sint; de die tamen gravis honestique viri personam gerunt: Sic & isti sunt prorsus ad instar quorumdam vel perforantium, vel transilientium parietem nocturnis horis latronum.

p. 2. §. 1. *Confucius* ait: Ejusdem farinæ sunt cum his, quos dicebam modo, latrunculis nocturnis, ii qui vulgo habentur ab hominibus ruri degentibus probi, ingenui, comes officiosi: & specie quidem tenus sunt tales, re autem verâ fallaces, malitiosi, callidi, veteratores, vafri, veri denique virtutum latrones, seu pestis atque pernicies.

§. 2. *Confucius* ait: Benè beatèque vivendi rationes ac præcepta de viâ fortè audita, protinùs de viâ proloqui, & auribus vixdum percepta, per os illicò profundere; neque hoc agere, ut ea tibi ipse primùm applices, quam impertias aliis; virtutis quædam projectio est, contemptus, ac repudiatio.

§. 3. *Confucius* ait: Iis, qui conditione & moribus viles & abjecti homines

homines quomodo possunt hi servire Principi ac Reipublicæ, quamvis etiam afferant raras facultates ingenii & industriæ.

§. 4. Omninò non possunt: quippe homines hujuscemodi & priusquàm obtineant quod expetunt, anguntur intimis sensibus, donec per fas & nefas id obtineant. Ubi verò jam obtinuerunt; rursus tamen anguntur & discruciantur ne amittant.

§. 5. Atqui ubi timetur amitti, quod sic acquisitum est opum & dignitatum, jam nihil est quò non pertingatur. Nihil, inquam, est tam abjectum, tam turpe, tam iniquum, quod non agant & patiantur.

f. 6. p. 1. §. 1. *Confucius* ingravescentem vitiis morbisque animi ætatem suam deplorans, sic ait: Prisci quidem habuerunt tres maximè morbos, quibus tunc quoque laborabatur; at sic, ut neque graviter, nec à multis: At nunc dici fortasse queat, quòd hi ne existunt quidem; usque adeò scilicet vis mali crevit, ut in naturam videatur transisse.

§. 2. Priscorum morbus erat appetitus quidam immodicus honoris & gloriæ, & ex hoc nata dissolutio quædam, seu neglectus rerum saltem humiliorum, minorisque momenti; & non ampliùs. At hoc tempore appetitus iste, ita vehemens quædam dissolutio est animi, ut fas & jus omne temerè proculcent. Priscorum morbus alter severitas, gravis illa quidem & inexorabilis; non ea tamen, quæ solo timore contenta, amorem propè omnem excluderet. Verum ætatis nostræ severitas, rixosa est; nihil ferè præter odium, rixas, acerbitatem, desperationem, aliasque ex aliis perturbationes parit. Priscorum simplicitas ac ruditas, candida, aperta, & recta: Ætatis nostræ ruditas ac simplicitas, meri fuci, meræ fraudes atque fallaciæ, & præterea nihil.

p. 2. §. 1. *Confucius* ait: Affectati sermonis & facundiæ, necnon blandiusculi oris homines, pauci veræ virtutis sunt.

§. 2. *Confucius* inductione quadam similium declaraturus quanto sit damno, & quam digna odiis omnium species oris simulata & assentatricis mendacisque linguæ facundia, sic inquit: Odi colores inter, colorem violaceum, quatenus tollit ac suffuratur quodammodo purpureum qui nativus est; imminuto scilicet ejusdem pretio & amore. Odi similiter Regni *Chim* musicam: perturbat enim & deliciis enervat Priscorum eam, quæ *Ya* dicitur, musicam, verecundiæ, modestiæ, gravitatis magistram. Odi denique acutum illud & malè disertum os, mille fingendi adulandique artibus, instructum. Pessumdat enim, ac funditus pervertit regias domos, nobilissimasque familias.

§. 3. *Confucius* hortaturus suos ad studium taciturnitatis, & ut rebus, factisque potiùs quàm copiosis ornatisque sermonibus insti-

tuant alios; posthàc, inquit, ego velim nihil fari ampliùs.

§. 4. Miratus hanc Magistri vocem *çu cum* discipulus ait: Magister, si quidem posthàc nihil profaris; tum nos discipuli quid discemus, & consequenter aliis referemus? quid posteris impartiemur quando nihil ipsi accipimus?

§. 5. *Confucius* ait: Cœlum quomodo fatur? quâ voce, quâ ratione nos docet ac instituit? Ecce quatuor anni tempestates, ut peragunt cursum suum: ut item universæ res felicissimè procreantur. Declarant hæc scilicet & silentio maximè facundo deprædicant arcanum illud principium suum, in quo uno vertuntur omnia. Cœlum igitur, quod rem tam arcanam tam disertè loquitur, quo tandem modo loquitur?

f. 5 p. 1. §. 1. *Ju poi* vir literatus, quem jussu Regis *Ngai cum* (fuit hic duodecimus Regni *Lu*) *Confucius* edocebat ritus funebres, quodam die desiderabat visere *Confucium*: *Confucius* excusavit se, causatus invaletudinem: Dumque jam famulus qui exceperat heri sui mandatum, egreditur cubiculi foribus Id hospiti renuntiaturus: Philosophus sumpsit in manus instrumentum musicum, & cecinit datâ operâ, ut hospes audiret canentem, atque intelligeret, se non ideo quod malè haberet Philosophus, non admitti; sed quod ipsemet nescio quid peccavisset, cujus meritas pœnas hujusmodi repulsa daret.

§. 2. *çai ngo* discipulus Magistrum suum consulit de trium annorum luctu in obitu parentum, quid censeat? Quod enim, inquit, unicus annus, & non amplius, tribuatur luctui, jam diu est.

§. 3. Et meo quidem judicio planè sufficit: etenim si vir gravis ac probus domestico luctu occupatus totos tres annos non fungitur ullis officiis civilibus; officia procul dubio vel ipsâ desuetudine paulatim obliterabuntur ac peribunt. Idem rursus si per tres annos non adhibeat exercitationem musicam; musica procul dubio corruet.

p. 2. §. 1. Quid quod ipsa rerum natura docere nos videtur Luctum, qui major annuo sit, haudquaquam requiri: Plurimarum quippe rerum principium & finis, & ortus & interitus, unius anni spatio definitur. Videmus certè, quòd adulta maturaque seges ubi demessa est, & in horreum collecta vivere quodammodo jam desiit; nova, quæ succedit, seges herbescentem protinùs ostendit viriditatem, quæ nixa fibris stirpium, sensimque coalescens culmo jam erigitur geniculato, & vaginis suis quasi pubescens includitur: quin etiam, prout singulis ferè anni tempestatibus diversa quædam ratio est plantarum & arborum: Ita qui elicitur terebrando lignum per quatuor tempestatum singulas, & ipse mutatur, ignis: Prorsus itaque annuum spatium ad luctum potest sufficere.

§. 2. *Confucius* respondit in hunc modum: Veteres quidem officiorum libri ac rituum præscribunt filiis, ut in funere parentum per tres annos vescantur oriza admodùm vulgari & malè purgatâ; potent aquam; cannabinâ veste, asperâ scilicet, humilique utantur. Tu nunc unico igitur exacto anno, quando jam luctum abjeceris, vescens denuò aliâ illâ puriore orizâ, denuo indutus aliam illam vestem sericam & pretiosam, an tu tranquillo eris animo? nonne cruciabit conscientia neglectæ pietatis? Respondet discipulus minimè verò cruciabit: Tranquillo sum futurus animo.

§. 3. Tu, inquit *Confucius*, si quidem hæc faciens tranquillo futurus es animo: fac sanè quod libitum fuerit. Viro quidem probo ac sapienti versanti in luctu ac sordibus propter amissos parentes vescenti licet opiparis ac deliciosis dapibus, non tamen eæ dulcescunt ac sapiunt. Idem audiens fortè concentum musicum sic eo non delectatur, atque si non audiret. Idem quamvis molliter ac deliciosè cubans, non tamen ullam capit quietem: tanta pii mœroris vis est; tantum, tamque perenne optimorum parentum desiderium. Quocirca nunquam committet, ut contrahat lugendi spatium à majoribus constitutum: nunc autem tu quando sustines id facere, fac sanè, quod lubitum fuerit.

f. 8. p. 1. §. 1. Discipulo *çai ngo* foras egresso *Confucius* ad reliquos conversus; discipulus, inquit, *Yu* (idem est qui *çai ngo*) non est verâ germanâque virtute præditus, quando statuit tam facilè mores antiquos negligi posse & instituta majorum violari, quæ tamen videntur consentanea naturæ legibus atque rationi. Etenim proles nata & fota jam tres annos, deinceps eximitur è patris matrisque sinu: Quid ergo justius, quàm ut amori trium annorum totidem quoque annorum pietate luctuque liberi respondeant? Hic certè trium annorum luctus & maximè vetustus est, & per Imperium totum vulgatus & usitatus luctus: An fortè *Yu* discipulus perceperit etiam trium annorum curam & amorem ab suis parentibus, uti reliqui mortalium, quod adeò patrocinetur huic novitati & errores tueatur ætatis nostræ?

p. 2. §. 1. *Confucius* ait: Qui ingurgitant sese cibo potuque per totum diem, nec habent quidquam seriæ rei, quo occupent animum, proh quantum hi laborabunt, ut præstent quidpiam homine dignum! At enim nonne datur ludus scacchorum quo se occupent? At saltem qui dant operam istis ludis, ut otium fugiant, vel in hoc uno præ illis certè sapiunt.

§. 2. *çu lu*, ut erat animosus, quærens ait: Vir gravis & eminens suprà vulgus hominum, nonne plerumque primas defert fortitudini? *Confucius* respondet in hunc modum: Eminens vir ejusmodi non fortitudini, sed æquitati justitiæque primas defert. Certè vir gra-

vis ac præstans, si quidem sit instructus robore illo animi corporisque, & interim non instructus sit temperamento rationis & æquitatis; facilè causam præbebit gravissimis Imperii perturbationibus: Uti & plebeii homines habentes simile robur, & carentes moderatrice illâ sui roboris æquitate, nullo negotio rapinas & latrocinia exercebunt.

§. 3. Discipulus *çu cum* aliam instituens quæstionem, sic ait: Vir præstans atque Philosophus, si quidem tenetur studio de omnibus benè merendi; an nihilominus etiam tenetur odio quorumdam? *Confucius* respondet: Tenetur odio. Odit imprimis eos qui vulgant hominum vitia & peccata. Odit eos qui viles & abjecti cùm sint, tamen impudenter ac temerè obtrectant obmurmurantque iis qui superiorem locum & dignitatem obtinent. Odit præterea fortes & animosos, at sine more modoque. Odit item certum quoddam genus hominum sibi stultè placentium, qui perquam tenaces sententiæ suæ, pervicaces, obstinati, quidlibet temerè aggrediuntur, nec rationi dant locum.

f. 9. p. 1. §. 1. His dictis, quæro nunc abs te vicissim, inquit *Confucius*, mi discipule *Su* num præter eos, quos dixi, & tu habes quos oderis? Ait ille: Habeo, suntque triplicis generis: Odi eos qui parùm perspicaces cùm sint, ac intelligentes rerum, tamen acres censores sunt aliorum, idque putantes esse prudentiæ. Odi homines non submissos, & ob superbiam contentiosos, idque reputantes esse fortis ac generosi animi. Denique odi homines qui imprudenter & importunè & exprobrantis in morem alios reprehendunt de vitiis clam cognitis; idque reputant esse candidi, synceri, rectique animi.

§. 2. *Confucius* ait: Solas ferè mulierculas & infimæ conditionis homines, cujusmodi sunt, qui nobis famulantur, perquam difficile est sic tractare, ut tamen contentos habeas. Etenim si propior illis fias per indulgentiam quandam & facilitatem; jam non submisse se gerent, sed insolescent, nec te (uti par erit) colent ac verebuntur. Si te removeas ab eis, nec nisi perrarò cum ipsis agas, idque cum authoritate quâdam & severitate; jam querentur; & odio habeberis uti austerus, illiberalis, inhumanus.

p. 2. §. 1. *Confucius* ait: Quadragenarius qui sit, & tamen propter improbitatem suam, stultitiamque etiamnum appareat habeaturque gravis ac invisus omnibus; hujuscemodi desperata emendatio est, ad finem usque sic perseverabit.

§. 2. Tres hoc paragrapho recensentur Heroës illustres: quorum primus *Vi çu* frater impii *Cheu* (fuit hic vigesimus octavus & ultimus Imperator secundæ familiæ *Xam* & *Yn* dictæ) cùm sæpiùs, at nullo profectu, monuisset fratrem, veritus ne si monere perseveraret, ac-

ret, acceleraret ruinam Imperii, & tyranni furentis rabie in caput suum concitatâ, labentis familiæ spes ac reliquiæ penitùs extinguerentur; tempori paulisper cedendum ratus, discessit ab aulâ. Alter *Ki çu* dictus, & ejusdem tyranni patruus, quod eum crebrò quoque monuisset officii sui, in carcerem detrusus est, & redactus in servitutem, qui cùm metueret, ne gravius quid de se statueretur; amentiam callidè simulavit; itaque vir tantus petulanti multitudini amentis instar ludibrio aliquamdiu fuit. *Pi can* denique alter tyranni patruus eundem reprehendit & objurgavit, sed & periit.

Hic enim, cum nepotis insolentiam & crudelitatem ferre diutius non posset, ac videret jam pessum ire omnia; paulisper secum ipse deliberans tandem; satius est, inquit, mori, quàm diutius dissimulando & in Regem & in patriam peccare: Omnino dicenda veritas est, licet odium & exitium paritura. Non audiet tyrannus? At audiet patria, audiet posteritas omnis. Hoc dicto progressus in conclave Regium, patriâ cum authoritate nepotem admonet; resipiscat tandem aliquando; sibi consulat; suisque. Minas addit, procul dubio futurum ut, expetente pœnas ipsomet cœlo, amittat Imperium cœlitùs collatum. Quocirca expuiget animum flagitiis inquinatum; revocet abjectum pudorem; revocet jura & leges; sic enim placari cœlum posse, & decretum, quod in ipsum jam sanxerit, revocari. Hæc ille. Sed tyrannus veritatis impatiens, & monitione ipsâ jam efferatior, innocentem & patruum, & tunc maximè utilia suadentem, non sine probro ludibrioque perempturus, ad circumstantes proceres convertens sese; Pi can *iste; si nescitis, inquit, sanctum se esse arbitratur: Ego autem audire me nemini, quod cordi cujusque viri sancti foramina sint omnino septem: Explorare nunc juvat, an ita res habeat. Hæc effatus, in ipso vestigio contrucidari patruum jussit, & adhuc spiranti cor extrahi.*

§. 3. Agens porrò de tribus hisce *Confucius* dicebat: Familia *Yn* seu *Xam*, habuit omnino tres raræ fidei, constantiæ, pietatis viros.

§. 4. Eximius ille vir *Lieu hia hoei* agens in Regno *Lu* judicem causarum criminalium iterum ac tertio dejectus fuit de illâ dignitate. Quodam igitur sic dicente: In hâc perturbatione tantâ rerum, bone vir, an necdum jure possis renunciare tuo muneri, & hinc aliò migrare? Respondit ipse: Ego rectam viam normamque teneo, & secundùm hanc servio Regi & hominibus: Sed enim quò tandem commigrabo infelix, ubi fides, integritasque non sentiat horum temporum calamitatem? Atque adeò ubi non tertiò ac sæpiùs meâ dignitate priver? Quod si induxero in animum, turpiter servire tempori, si perversâ quâdam ratione ac viâ serviam hominibus; quorsum opus est, obsecro, discedere ex patrio regno?

f. 10. p. 1. Regni *çi* Princeps *Kim cum* nomine excepturus *Confucium*, deliberans cum suis quo maximè ritu exciperet, sic ait: Quod

attinet ad Præfectum *Ki xi*, id est, ad apparatum, quo hunc Regni *Lu* Princeps nuper excepit, utique ego non possum imperare mihi ut pari utar. Medio quodam ritu inter dictos *Ki* & *Mem* excipiatur. Quod attinet interim ad doctrinam ipsius, inquit, & instituta; ego jam consenui, non possum illis uti. *Confucius* ubi hoc cognovit, desperans aliquod operæ suæ pretium, insalutato Rege protinùs discessit.

p. 2. §. 1. Regni *çi* homines dono miserunt Regi *Lu* puellas cantatrices. *Ki huon çu* Regni Præfectus admisit. Triduo Rex non prodiit in conspectum. *Confucius* discessit. Prætoris officio fungebatur Philosophus in patrio Regno anno 14. *Tim cum* Regis undecimi; eo quidem successu, ut exactis vix tribus mensibus, jam novus esset legum vigor & observantia. Atque ita factum est ut Regnum *Lu* æmulo finitimoque *çi* Regno formidabile jam redderetur. At Rex & proceres Regni hujus nova illa ditionis æmulæ firmamenta per insidias & quasi cuniculos subruturi, puellas octoginta formæ perelegantis, omnique luxu & opulentia conspicuas; equos item centum & viginti, cum variis instrumentis musicis Regni *Lu* Principi dono mittunt. Captus est insidiis tam illecebrosis, Regni Præfectus; & in easdem protinùs conjecit incautum Principem. At hunc usque adeò puellarum istarum forma, vox, gratia cepit ac dementavit, ut sui immemor, Regnique tertium jam diem à conspectu suorum, & jure dicundo abstineret. Quod ubi *Confucius* animadvertit, certus non servire Principi, qui tot illecebris serviret; abscessit indignabundus.

§. 2. Literâ *Fum* avem solis denotat, nos hic vocabimus aquilam Sinicam; auspicatissima quidem, uti ferunt, avis est, & jam ab ipsis Monarchiæ exordiis habita fuit venturæ felicitatis nuntia. Homo quidam Regni *çu*, quo *Confucius* diverterat, specie quidem mentis inops (ut enim lateret feliciùs, amentis propè ritu in plateâ quandoque cantillabat) re autem verâ Philosophus, cui *çie yu* nomen erat, cantillans & præteriens *Confucium*, qui curru suo tunc fortè vehebatur, sic ait: O aquila! ô aquila! (vox est vehementer exoptantis id, cujus nuntia solet esse aquila.) Ah quantus hoc tempore virtutis languor est! errata præterita non possumus redarguere & corrigere; ex præteritis autem futura adhuc possumus per conjecturam attingere. Desiste, si sapis, ô *Confuci*, desiste! Hoc tempore qui administrant Rempublicam, periclitantur.

f. 11. p. 1. §. 1. Cognovit illico personatæ stultitiæ sapientiam *Confucius*: nec mora, desilit de curru, vehementer desiderans cum eo colloqui. At profugit ille & subduxit se *Confucii* oculis; qui adeò non potuit cum eo loqui.

§. 2. Revertebatur olim *Confucius* è regno *çu* in Regnum *çai*:

dumque veheretur curru unà cum discipulo suo *çu lu*, qui & ipse currûs erat auriga, fortè obvios habuerunt duos Philosophos ex Regno item *çu* oriundos, & eodem, quo superior ille, consilio tædioque miserrimorum temporum latitantes. *Cham ciu* & *Kie nie*, illis nomen erat: Agriculturæ dabant operam, & desertos nescio quos agros simul tunc arabant. *Confucius* aliquantulum illos prætervectus jussit discipulum *çu lu* exquirere ab eis vadum proximi fluminis, quod transeundum erat.

§. 3. Alter illorum *Cham çiu* percontans à *çu lu* ait: Iste qui regit ibi currum ecquis est? *çu lu* respondit: Est *Cum kieu*. Num est, inquit, iste è Regno *Lu* oriundus *Cum kieu*, seu, *Confucius*? Respondet: Est ipse. Ait Philosophus: Ipse novit vadum fluminis, qui viam hanc itque reditque toties: Quorsum percontari te jubet?

§. 4. Discipulus accepto responso tam mordaci percontatur ab altero *Kie nie* nominato, quâ parte sit vadum fluminis. *Kie nie* vicissim percontans ait: Fili, tu quis es? Respondit: Ego sum *Chum yeu* (nomen alterum ipsius *çu lu*) Philosophus, tum an tu inquit, es fortasse oriundi è Regno *Lu* Philosophi, cui nomen est *Cum kieu*, discipulus? Hic intellexit *çu lu* virum esse sapientem quî cum loquebatur. Itaque respondens ait: Sum planè. At ille damnaturus studium Magistri pariter ac discipuli, sic ait: Torrentis in morem præcipites sic ruunt Imperii res pariter omnes: Et quisnam afferat mutationem, & quasi refluxum in statum pristinum? Enimverò præ hoc quod agis, sectari scilicet fugientem homines Magistrum (fugientis enim ritu sedem mutat assiduè) quantò satius foret te sectari fugientes sæculum Philosophos? Hæc fatus occabat semen, nec cessabat ab isto opere: Transitum autem fluminis nec ipse indicavit.

p. 2. *çu lu* discessit de his certiorem facturus Magistrum suum: *Confucius* altè suspirans ait: Aves & quadrupedia non possunt in eodem simul loco congregari. Sed ego si non his ætatis meæ hominibus me sociem; cum quibus tandem me sociabo? Imperio pacato ego non ero necessarius ut afferam mutationem.

Planè sic res habet (verba Colai sunt suo ipsius, non jam Philosophi nomine loquentis) Viros sanctos ac sapientes Cælum procreat, eo maximè consilio, ut quamplurimis emolumento sint ac saluti. Sic olim magni illi Reges ac Fundatores Imperii nostri communem populi calamitatem suam esse reputabant: fames enim, & inopia, quâ subditi quandoque laborabant, nullos æquè ut ipsos cruciabat; quò ardentiori etiam studio contendebant nervos omnes ingenii industriæque suæ, ut publicæ calamitati quàm citissimè possent, mederentur. Infelicem patriam, miserum genus humanum, si doctrinam, seu verius desperationem ac socordiam istorum Philosophorum sequi par fuerit.

f. 12. p. 1. §. 1. *çu lu* dum una cum Magistro iter facit, eumque lentiori fortè gradu sequens aliquanto posteriùs, ac retro manet; evasit alter repentè extra conspectum discipuli: Qui dum hæret incertus, quam viam tenuerit; obvium habet senem suspensam ex baculo portantem fiscinam; quem *çu lu* percontans ait: Bone vir, num fortè vidisti Magistrum meum? Senex ad quæsitum nihil respondens, sed eum gravi oratione castigaturus sic ait: Tu quidem, bone juvenis, vagus & otio diffluens, uti video, corpus non habes duratum labore, dum ego interim id ætatis homo Agriculturæ do operam: Quâ tu neglectâ quinque frugum species quamvis notissimas fortasse ne distinguis quidem, ignarus quid phaseolos inter & milium, triticumque discriminis sit. At tu quem Magistrum tuum mihi prædicas? Quis est ille Magister tuus? His dictis, humi defixit suum baculum, & agrum purgabat, herbas inutiles eradicans.

§. 2. *çu lu*, qui ex sermone illo habituque totius oris & corporis, occultam latentis Philosophi sapientiam cognoverat; non modo nullum suboffensi animi dedit indicium; sed curvatis in arcum ante pectus manibus honorem exhibens (uti mos est gentis hujus) deinde cum insigni quâdam modestiæ observantiæque significatione constitit.

§. 3. Specimen hoc animi tam sedati, & indolis tam ingenuæ admiratus est senex, atque adamavit. Deduxit itaque domum suam ibique detinuit ipsum *çu lu* ut pernoctaret: occidit gallinam, instruxit cænulam, & inemptis dapibus refecit hospitem: Deinde produxit in conspectum suos duos filios majorem & minorem natu; qui pro suo quisque ætatis gradu comiter ac rite hospitem salutarent.

§. 4. Illucente postero die *çu lu* discessit ut de omnibus certiorem faceret *Confucium*. *Confucius* auditâ totius rei serie, procul dubio, inquit, unus est de numero sapientum, sed occultus est sibique vacans. Jussit ergò discipulum *çu lu* reverti & revisere senem. Ivit, pervenit ad ejus domum: sed jam senex discesserat.

§. 5. *çu lu* Magistri sui mentem, & de occultis illis sapientibus sententiam posteris expositurus, sic ait: Non gerere Magistratum etiam hoc statu rerum, miserrimoque tempore, si modò sis idoneus ad gerendum, nec fas nec ratio sinat. Enimvero si duorum fratrum majoris ac minoris natu ordinem, mutuumque jus in fortuito nascendi tempore fundatum nefas est violare (alludere videtur ad id, quod paulo ante spectaverat in domo senis Philosophi) Regis ac subditi mutuum jus ac officium, quo tamen pacto id violabitur? Desiderant quidem boni isti viri consulere integritati innocentiæque suæ personæ, ut aiunt: At non considerant interim quod perturbant

bant violantque magnum illum generis humani ordinem arctissimumque vinculum, quo subditi suo Principi (maximè dum is periclitatur) & cives laboranti patriæ obstringuntur. Idcirco vir probus ac sapiens perturbatis quoque rebus vel maximè Rempublicam gerit, & explet suum probi civis munus; hoc ipso quod mos patrius ac leges non vigent, jam intelligit hoc, quod modò dicebatur, civis probi ac sapientis munus, quod scilicet est sucurrere patriæ etiam cum capitis discrimine, nec senum istorum more sedere otiosos spectatores ruinæ publicæ.

f. 13. p. 1. §. 1. Recensentur hoc paragrapho septem occulti sapientes qui dignitate vel amissâ, vel ultrò etiam abjectâ, privatam vitam duxerunt; non omnes quidem eodem vel modo, vel consilio; sapienter tamen & cum laude. Fuerunt autem *Pe y*, *xo çi*, *yu chum*, *y ye*, *chu cham*, *lieu hia hoei*, & *xao lien*.

Confucius ait: Qui neutiquam demiserunt suum liberæ invictæque mentis propositum, qui neutiquam dedecorârunt suam personam, fuerunt duo fratres *Pe y*, & *Xo çi*. Si loquamur de *Lieu hia hoei* & *Xao lien*; demiserunt hi quadamtenus suam libertatem & arbitrium; dedecorârunt (alienâ quidem injuriâ) personam suam. Verba tamen ipsorum responderunt rationi: facta responderunt votis hominum: Hæc isti, & nil aliud.

§. 3. Rursus si loquamur de *Yu chum*, & *Y ye*, occulti degebant hi quoq; liberiùs loquebantur: Persona tamen ipsorum attingebat puritatem, abjecti licet in speciem attingebant tamen cordis æquilibrium.

p. 2. §. 1. Ego verò sum diversus ab his; quippe nil habeo quod semper probem, nil item quod semper improbem. Horum omnium itaque finis erat idem; diversa media, idem terminus, viæ diversæ. Non illos ego condemno: laudo potiùs: imitari tamen haudquaquam volo, servio tamen & loco, & tempori, & populo, & Principi; quatenus hæc omnia, ubi quid aut agendum est, aut omittendum, consulo, meque omnibus, ut bene merear de omnibus, quoad fieri potest, accommodo.

§. 2. Magnus Magister Musices, cui *Chi* nomen, migravit in Regnum *çi*. *Alibi jam diximus, quantum politica hæc Monarchia Priscis maximè temporibus, tribuerit musicæ, seu verius, ei doctrinæ & institutioni, quæ numeris illigata musicis, temperata deinde varietate sonorum, ad animos audientium penetrabat. Quid multa? concidisse musicam, & concidisse jam Regnum, idem propè erat. Hîc certè, quo constaret omnibus Regnum* Lu *jam esse ruinæ proximum; nihil aliud, quam cessatio musicæ, & fuga Musicorum describitur; qui à familiis potentiâ insolescentibus exauthorati, & privati censu suo, alias alii ditiones & Regna petivêre.*

§. 3. Qui secundæ mensæ seu refectionis Regiæ musicam regebat, *Çan* nomine, migravit in Regnum *çu*. Qui tertiæ refectionis, *Leao*

nomine, migravit in satrapiam *çai*. Qui quartæ refectionis, nomine *Kive*, migravit in Regnum *çin*.

f. 14. p. 1. §. 1. Qui grande tympanum pulsabat *Fan xo* nomine, ingressus est in ditionem ad flumen *Hoam ho* sitam.

§. 2. Qui pulsabat parva tympana, *Vu* nomine, ingressus est in ditionem *Han chum*.

§. 3. Secundus, seu minor Regiæ musicæ Præfectus, *Tam* nomine: Item alter qui pulsabat instrumenta lapidea, *Siam* nomine (eratque idem ipsiusmet *Confucii* Magister in musicis) ingressus est in mare, id est, insulas vicini maris.

§. 4. *Cheu cum* inter Principes Sinicos famâ sapientiæ vix ulli secundus, alloquens filium suum *Pe Kin* Regni *Lu* satrapam jam creatum, eòque propediem profecturum præceptis maximè necessariis præmuniens sic aiebat: Vir Princeps ac sapiens non aspernatur abjicitve suos consanguineos & affines; Non reddit idem præcipuos administros Regni sui alienos ab se, justæ offensionis odiique causam præbens, quod eis non utatur; repente scilicet eos privans dignitate suâ; vel ob exigua quæpiam peccata, vel certè nulla eis facti sui, & pœnæ tam gravis datâ ratione; offensiones, inquam, hujusmodi vitat prudens: Intelligit enim malè consultum iri toti corpori, cujus capiti cum membris suis haud conveniat. Familias nobiles ac pervetustas, nisi fuerit gravis & atrox causa, certè non abjicit; sed quotquot ex illis ad gerendam Rempublicam sunt idonei, haud cunctanter admovet Reipublicæ: qui verò idonei non sunt; suo tamen censu propter majorum merita potiri sinit. Sapiens Rex non hoc exigit, ut omnia præsto sint in uno eodemque homine; sed onera cujusque viribus prudenter accommodans, suos haud secus ac vasa tractat, alios ex aliis usus pro singulorum capacitate petens.

Extant in annalibus alia ejusdem Principis præcepta, quibus instruit eundem filium suum; ut ferat magno animo obmurmurationes suorum, & obtrectationes; & seriò circumspiciat seipsum, ac disquirat, an eis causam fortè præbuerit; detque operam ut æquitate suâ, patientiâque, & vitæ imprimis innocentiâ, quamvis infestos animos malè de se loquentium mitiget, sibique obstringat. Ut item constitutus in illo fastigio, summopere sibi caveat ab elatione animi, & fastu, & vanitate; sibique ipse vigilanter attendat, non sui tantùm causâ, sed totius satrapiæ, cujus caput sit. Vehementiores denique stimulos à suo ipsius exemplo subditurus; scis, inquit, fili mi, quod ego Ven vam *Regis sum filius, quod idem* Vu vam *Imperatoris frater, quod patruus ac tutor* Chim tam *Imperatoris: & tamen cum talis sim ac tantus, non dubitavi ter uno die ex balneo, ubi fortè corpus curabam, prosilire, solato etiamnum capillo, & inter eandem refectionem ter ad signum quod dabatur, à mensa surrexi, non alia*

de causâ, quàm ut meorum vel querelis vel postulatis aures præberem.

p. 2. §. 1. Imperatoria domus familiaque *Cheu*, quo tempore potiebatur rerum, eratque florentissima, habuit octo sapientes, omnes fratres, nec modò germanos, sed etiam gemellos, quos mater quaterno scilicet partu, & eo ordine, quò hic geminis singuli literis nominantur, enixa fuit: quodque vehementer auget miraculi hujus raritatem; dicuntur omnes omnino iis instructi fuisse naturæ dotibus, eâ gravitate morum, & integritate vitæ, ut inter sapientes ætatis suæ, facile censerentur Principes. Si nimirum res habet; quotiescumque cœlum pacandis & instaurandis Imperii rebus Reges submittit ac Principes; adjutores etiam Principum, qui horum conatus, industriâ, virtute, sapientiâque juvent, benignè submittit: Nomina dictorum sapientum: *Pe ta, Pe quo, Chum to, Chum ho, Xo ye, Xo hia, Ki sui, Ki va.*

LIBRI TERTII

PARS DECIMA

Fol. 1. p. 1. paragr. 1.

DISCIPULUS *çu cham* aiebat: Vir gravis ac sapiens videns grave periculum regni, familiæque Regiæ, sine ulla cunctatione exponit vitam pro salute publicâ: Idem verò videns lucri occasionem, secum prius ipse reputat, quid jus & æquitas sinat: Idem sacris dans operam, memor est venerationis ac reverentiæ: denique in funere & exequiis memor est luctûs & commiserationis. Hujusmodi dignus est suo sapientis nomine, nec aliud requiritur.

§. 2. *çu cham* aiebat: qui arripit quidem virtutem, eique dat operam, sed non amplè; sed carptim, exili studio & conatu, exiguum (ut ita loquar) angusti pectoris vasculum afferens: Aures item, & fidem qui præbet documentis ac disciplinis optimis; at non eâ cum firmitate vel constantiâ, quâ par erat, quolibet opinionum vento flatuve commotus vacillet ac fluctuet. Hujusmodi qui sit, quomodo possit censeri, eò quod existat ipse, accedere quidpiam huic mundo? & quomodo rursus possit censeri, eò quod non existat ipse, decedere quidpiam huic mundo?

p. 2. §. 1. *çu hia* & *çu cham* ambo discipuli erant *Confucii*, celebres

imprimis; opinionibus tamen & vivendi ratione discrepabant. *çu hia* quidquid agebat, agebat perquam seriò, sedulò, constanter; gradu suo, partisque opibus contentus. Contrà *çu cham* quietis & mediocritatis impatiens ad altiora semper adspirabat. Illius ergo, cui *çu hia* nomen erat, discipuli quodam die instituerunt quæstionem de amicitiâ apud *çu cham*. *çu cham* percontans ipsos ait: *çu hia* Magister vester ecquid sentit, quid ait? Respondent illi; *çu hia* Magister noster ait: Cum iis qui digni sunt amicitiâ, quia scilicet recti sint, synceri, amantes discere, & tales vicissim, à quibus ipse discas, conjungere quàm volueris arctissimo vinculo amicitiæ: Eos verò qui non sunt digni illâ, quod nec tibi possint, nec sibi velint esse utiles, procul abs te remove. *çu cham* hæc audiens; miror, inquit, ea quæ dicitis: vehementer enim discrepant ab his, quæ ipse quondam audivi; quod nempe vir sapiens studiosè colit sapientes, & amplissimo quodam charitatis sinu admittit reliquos omnes, & benignè complectitur: exornat & extollit eos qui egregiis sunt instructi dotibus, & miseratur imbecilles, quos erigit jacentes, & consilio opibusque sustentat ac roborat. Qualescumque ergo sint alii, & qualiscumque sim ego ipse; neminem unquam velim repellere. Ego fortè sum magnus sapiens? De hominibus ecquis erit quem non admittam & complectar? Ego contrà non sum unus de sapientibus; sed è vulgo homo rudis ac tenuis? tunc certè alii facilè, nec injuriâ repulsuri sunt me, & neglecturi: quorsum igitur illa repulsio mea aliorum hominum? quâ fronte, qui ipse despicabilis sim, despicatui quemquam habeam?

§. 2. *çu hia* discipulus ait: Quamvis exilis ars atque ratio ad res maximè vulgares & exiles ex. gr. Agriculturam & exercitationes mechanicas accommodata, omnino tamen habet spectabile quid & dignum quod observes & discas. At si extendere volueris eamdem deinde exilitatem & accommodare ad res sublimes & remotas à vulgo, ex. gr. Administrationem Imperii, familiæque Regiæ; vereor ne tunc protinùs velut in luto hæreas, nec quidquam proficias. Quocirca vir sapiens idemque gerendæ Reipub. jam admotus non tractat res hujusmodi.

f. 2. p. 1. §. 1. *çu hia* ait: Vir in dies diligenter exquirens, ac probè intelligens sibi quid desit: Similiter singulis mensibus memoriam refricans eorum, quæ didicit, adeoque nihil obliviscens eorum quæ ipse semel percepit, potest dici Philosophus: nec amplius requiritur.

§. 2. *çu hia* ait: Improbo quodam discendi studio complecti scientias omnes, & firmam, synceram, integramque voluntatem afferre: Ad hæc, ubi dubii quid oritur, diligenter & accuratè consulere peritos, ac denique apud animum suum intimè perpendere seu rumi-

nari

nari arcanas solidasque veritates : quis non videt quod ipsa virtus jam inest his ipsis exquirendæ virtutis conatibus, maximè cum quod exquiritur, exquirentis animo sit innatum, cælitusque impressum?

§. 3. *çu hia* ait: Omnes artifices, & mechanici, degunt in suo quisque foro, ut hâc ratione utiliter & commodè perficiant suum opus. Similiter Philosophus in virtutis ac sapientiæ scholâ constitutus, assiduè studet ac discit, ut perficiat suam illam, cui totus vacat, virtutem; artifici quamvis ignobili meritò postponendus, si propter inconstantiam inertiamve non perficiat suum opus.

p. 2. §. 1. *çu hia* ait: Stulti improbique quod peccatum est, haud dubiè recti honestique fucata specie cohonestant; quò licentiùs scilicet, ac magis impunè in eodem persistant.

§. 2. *çu hia* ait: Vir probus ac sapiens, cum sui semper sit similis, habet tamen, seu veriùs, habere aliis videtur tres mutationes. Eminus eum contemplantibus admodùm gravis ac severi est instar, sic ut arceat ipsos quodammodo species illa ab accessu propiori: Fidenter interim propiùsque accedentibus talis apparet illicò qualis reverà est, facilis, affabilis, benignus; audientibus verò deinde ipsius sermones, adeo rectos, & ab omni fuco, falsique specie tam alienos, jam rursus severus, non nihil, rigidusque apparet.

§. 3. *çu hia* ait: Quisquis gerit Rempublicam & administer est Principis, vir sit spectatæ fidei, ac deinde fidenter quidvis oneris imponat ipsi populo. Quod si necdum vulgo famam ejusmodi fidemque obtineat; tum si quid oneris imposuerit, populus hoc ipso censebit divexari sese. Similiter notus jam à fide tuâ, tum deinde fidenter moneto Principem: Audiet is monentem, colet, diliget. At si necdum fidelis audias, quia reverà talis non sis; tum quamvis optima monentem, tamen aversabitur, & hoc ipso censebit non tam monere, quàm calumniari te illum.

f. 3. p. 1. §. 1. *çu hia* ait: In majoris momenti rebus, iis scilicet, quarum maximè præsidio conservatur humana societas; & in quibus velut cardinibus officia quæque majoris momenti vertuntur, ex. gr. Filiorum officiis adversus parentes, subditorum adversus suum Principem, neutiquam transiliamus limen, seu ordinem, modumque à naturâ & legibus constitutum: At in minoris momenti rebus; & quæ majoribus illis famulantur quodammodo, consistere ultra citraque limen quandoque: possumus in his, inquam, suus datur epikeiæ indulgentiæque locus, tunc maximè, quando peccantis rudicas dissimulationem meretur ac veniam; Neque enim hoc sensisse existimandus est discipulus, quod in eo, qui sapientis nomine glorietur, tolerari vel nævus possit, aut ignorâsse pervetustum illud ætatis priscæ proverbium, vitanda esse minima, ne maxima amittantur: cui etiam consonat præclara libri *Xu kim* sententia, *Pu kim*

si him, chum lui ta te, negligere minora, tandem aliquando damnox est magni momenti rebus.

§. 2. *çu yeu* sugillans discipulos amici sui *çu hia* quod minoris momenti rebus admodùm intenti, de cardine ipso rerum ac fundamento minùs viderentur laborare, sic ait: *çu hia* familiaris mei discipuli adolescentiores, cum officia obeunt propria suæ ætatis, nempe, aspergendi solum aquâ, verrendi, respondendi ultrò citrò que, ingrediendi, egrediendi; equidem satis benè obeunt. Sed enim minoris momenti hæc sunt, & foliorum instar, ac flosculorum: radix verò & fundamentum deest. Quî hoc?

§. 3. *çu hia* hæc fortè audiens ait: Proh quantum *Yen yen* (idem est qui *çu yeu*) hîc aberrat, dum existimat me radice neglectâ de foliis dumtaxat laborare. Ab infimis, maximèque facilibus consultò ordior; ad altiora deinde, magisque ardua facturus gradum. In sapientis enim suos instituendi modo ac ratione ecquid tandem certum fixumque sit, quod primo loco tradatur, ecquid deinde & secundo loco in modo dictâ institutione operosiùs inculcetur? Omnino scilicet prudentis est Magistri diligenter exquirere, quid ferre valeant discipulorum suorum humeri, quid ferre recusent: Quid ætas singulorum, quid vires ingenii capiant; ac deinde singulorum facultati attemperare institutionem suam. Quemadmodum varii generis herbæ & plantæ pro suis quæque speciebus propriisque viribus ab earum perito perquam aptè varios ad usus distinguuntur; & deinde cum insigni utilitate applicantur. Operam certè ludam, & me fallam, meosque, si non exploratis primùm cujusque viribus, temerè quidvis docuero, & difficillima quæque necdum maturis importunè obtrusero. Sapientis Magistri suos instituendi ratio qui potest sic ludi & illudere? Simul complecti principium, & complecti finem seu radicem, & quidquid ex ea prognascitur, id solius est Sancti proprium; cui scilicet unà cum vitali spiritu sapientia cælitùs esset infusa: cujusmodi quidem nec me in docendo, nec discipulos in discendo esse profiteor.

f. 4. p. 1. §. 1. *çu hia* ait: Admotus est quispiam rebus curisque publicis, & tamen inter has habet affatim otii ac virium, ut studiis vacet, omnino vacet is sibi studiisque suis, & partas opes ingenii ac prudentiæ ex monumentis veterum optimisque disciplinis continenter augeat. Rursum vacat studiis quispiam, & jam affatim facultatis ac virium adeptus est, ut Magistratum gerat; tum nihil cunctatus Magistratum suscipiat, & privatas opes ingenii industriæque in communem patriæ utilitatem expendat.

§. 2. *çu yeu* ait: Justa dum persolvuntur mortuis, maximè quidem parentibus, pius filiorum luctus penitus exerat se in vehementi quâdam commiseratione intimoque sensu animi lugentis ac desi-

derantis amissos parentes, & sistant hîc filii, nec magnopere laborent, tametsi ad luxum & apparatum ætatis nostræ, in quo sæpe plus est vanitatis, quàm pietatis, copiæ non suppetant.

§. 3. *çu yeu* ait: Meus sodalis *çu cham* ad perficiendas res arduas ac difficiles, habet ille quidem & animos & facultatem; verumtamen necdum præditus est interna solidâque virtute, ex quâ tamen laus omnis veri roboris peti debet?

§. 4. *çem çu* ait: Quàm magnificè gravis est totius oris corporisque habitus amici mei *çu cham*; sed vel ideò perquam difficile est unà cum illo exercitare internam solidamque virtutem, sic ut vel ipse ex aliis, vel alii vicissim ex ipso proficiant: quid enim adjumenti mutui ad interiorem animi cultum speretur, quando magis videtur laborari de ostentatione quâdam virtutis, quàm de virtute ipsâ.

p. 2. §. 1. *çem çu* ait: Ego quondam audivi ex Magistro meo, vulgò quidem inter homines non esse quemquam qui penitùs exhauriat vires animi sui in exercitio virtutis cujuspiam. Quod si datur ejusmodi, reverà datur in parentum luctu & funere.

§. 2. *çem çu* ait: Ego quondam audivi ex Magistro meo, cùm diceret: *Mem chuam çu* Præfecti Regni *Lu* præclaram pietatem & obedientiam, quam in obitu parentis sui *Hien çu* item Præfecti luculenter est testatus, eam alius quispiam poterit etiam præstare & imitari! Hoc unum tamen quod ipse non immutaverit patris sui Ministros ac subditos, quibus is pro officio usus fuerat; uti etiam quod non immutaverit patris sui gubernandi rationem: Hoc, inquam, perquam difficile est præstare.

§. 3. *çem çu Confucii* discipulo septem quoque fuêre discipuli; *Mem xi* Regni *Lu* Præfectus jusserat unum illorum *Tam fu* dictum agere judicem criminum & Præfectum custodiæ publicæ: Consuluit hic igitur Magistrum suum *çem çu*, quâ ratione gereret injunctum sibi munus; *çem çu* respondit: Hoc tempore superiores Magistratus, quos oporteret optimis exemplis prælucere cæteris, passim deflexerunt à propriâ ipsorum recte vivendi & gubernandi viâ ac modô: Populus igitur quod item aberret, quod dispergatur studiis sententiisque malè distractus, jam diu est. Si ergò, dum causas & crimina singulorum examinas, compereris ea hoc modo se habere, id est, si tibi constiterit de naturâ causisque criminum, quæ vulgò committuntur; tum licet, qui rei sunt, non possint non plecti, semper tamen utere commiseratione & clementiâ, & nequaquam lætare, quasi placens tibi ipse (ut Colaus exponit) qui latentia miserorum crimina callidè detexeris: Sed memor esto, non omnem culpam penes ipsos esse, utpote quibus ignorantia sua, nec non superiorum prava exempla fraudi fuerint.

Triâ omnino millia criminum esse decet alibi Confucius; *quibus sua*

pro cujusque gravitate decreta sint supplicia. Celebris est Xun *Imperatoris moderatio & clementia, quâ præsidibus populi alia atque alia dans præcepta, concludit identidem his verbis :* Gucî hîm sió çâi, *id est, eos, à quibus pœnas exigitis, miserari vos volo. De his vide postremum librum* Xu kim *sub titulo* Liu hîm, *quem mille trecentis circiter post annis conscripsit* Liu *Regulus, jussu Imperatoris* Mo vam *ex familiâ* Cheu *quinti, qui regnare cœpit anno ante Christum 1001.*

f. 5 p. 1. §. 1. *çu cum* ait : *Cheu* ultimi ex familia *Xam* Principis improbitas quamvis reverà crudelis ac libidinosi ; haud fuit tamen usque adeò gravis & inaudita, ut non persimilis & aliorum extiterit : & tamen quotiescumque de graviori quopiam crimine sermo est, unus ferè *Cheu* protinùs in exemplum adducitur, & quasi reus omnium scelerum, linguis omnium hodieque vapulat, non aliâ scilicet de causâ, quàm quod simul improbus & Imperator fuerit: hoc enim potentior fuit & majori offendiculo ipsius improbitas ; quò ipsemet sublimiori ex fastigio in vitiorum cœnum se abjecit. Idcirco vir Princeps horreat sanè, quamvis exiguo tempore degere in hujusmodi cœno & sentinâ errorum ac pravitatum : Imperii namque totius peccata & mala, etiam illa, quorum haudquaquam reus est, omnia tamen, non aliter ac fœces & aquæ in sentinam sic in unum ipsum conferentur & confluent ; & brevissimi labem temporis, invidia sæculorum omnium, & opprobrium perenne (sicut isti *Cheu* contigit) consequetur.

§. 2. *çu cum* ait : Qui peccata sua emendare non laborant, ea tegere conantur, fucoque inducere. Quocirca viri sapientis (maximè Principis) peccatum est instar solaris lunarisve defectionis. Peccatum enim quod, nec celat ipse, & sua quoque peccantis celsitudo prodit ac dignitas, homines universi spectant : Ejusdem similiter mutationem in melius, (quando scilicet animadvertens ipse defectionem suam & peccatum, haud secùs atque sol & luna ad pristinum nitorem ac splendorem mox rediit) homines universi suspiciunt, & læti deprædicant.

§. 3. Regni *Guei* Præfectus ; cui nomen *Cum sun chao* quæsivit ex *çu cum* dicens : *Chum nhi*, sive, *Confucius* Magister tuus, quomodo studuit?

p. 2. §. 1. *çu cum* respondit : *Ven* & *Vu* Regum doctrina, leges, instituta, licet ipsi à sexcentis ferè annis vivere jam desierint, necdum tamen deciderunt in terram ; necdum perierunt, penitusve obliterata sunt. Etenim existunt & perseverant adhuc in hominibus ; & sapientes quidem memoriâ retinent illorum præcipua quæque capita. Rudiores è vulgo hominum etiamnum meminerunt illorum minutiora quædam minorisque momenti : Sive autem magna consideres sive parva, nihil est omnium quod non extet in conditorum nostrorum

nostrorum *Ven* & *Vu* institutionibus. *Confucius* ergò quomodo non studuerit didiceritve, qui ab omnibus, ipsâque adeò rudi multitudine tam parva quàm magna semper discere conatus est? Item quomodo unum eundemque Magistrum habuerit is, qui nullo non loco & tempore, & ex re quâlibet fructum petiit doctrinæ sapientiæque.

§. 2. Regni *Lu* Præfectus *Xo sun yu xo* quodam die colloquens cum Præfectis aliis in aulâ regiâ, aiebat: *Confucii* discipulus *çu cum* meo quidem judicio sapientior est quàm ipsemet Magister *Confucius.*

§. 3. *çu fo kim pè* Præfectorum unus de his certiorem fecit ipsum *çu cum*: Quibus auditis *çu cum* inquit, quod ad meam discipuli, & illam Magistri doctrinam sapientiamque attinet; illa planè habet se sicut extimus ædium paries, qui totas ambitu suo complectitur: at meus quidem paries perquam demissus altitudine suâ tantùm pertingit ad humeros adstantium, à forinsecus enim consistentibus primo conjectu oculorum protinùs videntur totius domûs, si quæ sint, pretiosa & bona.

§. 4. At verò Magistri mei paries, custos ille reconditarum opum Regiæque Philosophiæ, plurium est orgyarum altitudine conspicuus. Si non obtineas ut illius portas ingrediaris; haud unquam profectò videbis gentilitiæ Regum aulæ ornatum & venustatem, omniumque procerum & Magistratuum splendorem, opulentiam, majestatem.

f. 6. p. 1. §. 1. Quo minùs mirandum est, quòd ex hominibus ætatis nostræ, qui vel pertingant ad ipsam portam, fortè pauci sint. Præfecti igitur *Vu xo* sermo iste qui nihil nisi extrinsecum in me videt, numquid quadamtenus rationi congruit?

§. 2. Dictus *Xo sun vu xo* detrahebat *Confucio*: quod audiens *çu cum*, nec ferens hominis temeritatem, sic ait: Abstine, quæso ab hujusmodi obtrectatione: Ne sic agas: Vincit communem laudem sapientia Magistri nostri. *Confucio* nefas est obtrectare: Aliorum hominum sapientia, collis aut mons est, qui licet ex plano contemplantibus videatur altus esse; adhuc tamen potest transcendi. At verò *Confucius*, *Confucii*, inquam, doctrina & sapientia, montes ipsos transcendit, & propter sublimitatem suam sol est quodammodo & luna, nec est qui possit eam transcendere vel superare. Degeneres, improbique homines licet cupiant ac nitantur sese penitùs abscinde re & longissimè removere ab optimâ institutione & doctrinâ: ipsi tamen quo pacto tandem damno erunt huic ætatis nostræ Soli & Lunæ? Planè jam patet, obtrectatores hujuscemodi non scire suam parvis ac magnis, imis & summis mensuram tribuere.

§. 3. *Chin çu kim* quondam unus discipulorum *Confucii*, sed qui

doctrinæ ejus sublimitatem necdum æstimare noverat, interpellans *çu cum* Magistri sui tantum encomiasten; equidem, inquit, tu quando tam præclarè & sentis & loqueris de *Confucio*, nimiâ quâ piam veneratione ductus demittis te: *Confucius* enim quo pacto tandem te sit sapientior?

§. 4. *çu cum* hujus vel errorem vel adulationem, æquè ut alterius, contemnens, sic respondit: Philosophus ex unico etiam verbo non raro statuitur pollere prudentiâ; & è contrario ex unico etiam verbo idem non rarò statuitur laborare imprudentiâ. Omnino in verbis non oportet non esse consideratum.

p. 2. §. 1. Sic igitur sentio, sic dico: Ad Magistrum meum (quod ad illius virtutem & doctrinam attinet) non potest pertingi, non aliter ferè ac cœlum nequit per scalas conscendi; licet ejusdem amplitudinem & ornatum suspicere possimus eminus, & cum voluptate quâdam admirari.

§. 2. *çu cum* jam declaraturus, non inanes fuisse laudes, quas in *Confucium* contulerat, ex. gr. unam de multis, nempe suavem ejusdem efficacitatem brevibus hîc expendens; Magister meus, inquit, nactus aliquando magnam ditionem pro ipso ditionis Principe administrandam, numeros omnes sapientis & benigni gubernatoris hoc ordine & modo explebat. Primum quidem quod vulgo dicitur ac præcipitur gubernatoribus, erige & sustenta populum, æqua scilicet agrorum divisione, & vigilanti industriâ, ne quid earum rerum quæ ad victum cultumque corporis sunt necessariæ, desideretur. *Confucio* res administrante, protinùs erigebatur populus, & instar cultæ segetis succrescebat. Hunc verò in modum suppetente rerum copiâ, quod deinde præcipitur, verbis & exemplis tuis ad omnem rectè honesteque vivendi rationem ac disciplinam manuducito & dirigito rudem populum: *Confucio* dirigente idem protinus volens lubensque sequebatur, & viæ quæ monstrata fuerat, constanter insistebat. Constitutâ verò hunc in modum optimis legibus ac disciplinis Republicâ; quod deinde præcipitur, procura quietem populo; sic ut suo singuli loco & conditione contenti, in natali solo velut in centro conquiescant: Procurabat hanc quoque rara solertia prudentiaque *Confucii*. Protinùs itaque exteri complures finitimis è terris tam optatæ quietis famâ & desiderio impulsi, turmatim ventitabant. Partâ verò tranquillitate publicâ quod deinde præcipitur: permove & excita populum, & aliis industriis aliisque studium virtutis, mutuæque inter omnes charitatis & observantiæ renova; erige languentes, currentibus subde calcaria. *Confucio* quidem sic excitante suos protinùs vigebat inter omnes concordia, & quæ hanc comitantur, ritus, officiaque colentium amantiumque inter se civium. Ad cumulum vero laudum istarum accedebat, quod tanti fierent

animorum motus sine motu strepituve illius qui movebat; non aliter ferè, quàm tacita occultaque cœlorum virtus, cum plurima perficiat in terris, secretissima tamen est; & non oculos modò, sed intellectum quoque mortalium fugit. His aliisque de causis, fuit omnino ipsius vita perquàm gloriosa; ejusdem vero mors perquam lachrymosa, communi diuturnoque luctu, qui hanc consecutus est, testante, fuisse ipsum civibus suis haud secùs ac patrem suis liberis in honore; nec aliter ferè, quàm blanda mater esse solet in deliciis & amore. Quæ cum ita sint, quomodo tandem ad ipsum queat pertingi?

Ecce quam non discessit procul à terris hyperbolica laus illa & prædicatio, quæ prima fronte super nubes ac sidera videbatur efferre Confucium. *Naturæ limites excedere videbatur; cum repentè unius, exiguique populi, quem is sapienter ac placidè gubernandum susceperat, angustis sanè terminis seipsa conclusit. Itaque nihil hîc erit, opinor, quod Lectorem Europæum, utpote non minus candidum, quam benevolum suboffendat.*

f. 7. p. 1. §. 1. *Hoc & sequentibus paragraphis exponitur à discipulis quod hi creberrimè audiverant à Magistro suo, quibus maximè usi sint artibus, industriisque primi Legislatores gentis Sinicæ, primique conditores trium familiarum principum* Hia, Xam, Cheu, *quæ item voluerint esse principia & quasi fundamenta politices suæ; dum alii aliis succedentes, amplissimi res imperii non uno quidem tempore; normâ tamen propè unâ, tam feliciter administrârunt, & favore Cœli tam constante, ut solæ tres familiæ istæ, cum duobus Legislatoribus* Yao & Xun *longè diutius potitæ fuerint rerum, quàm novemdecim, quæ deinceps secutæ sunt, usque ad annum hunc 1670. hæ quippe simul omnes 1929. annos numerant tres vero illæ 2108.*

Excerptæ sunt, sed compendio, pleræque harum sententiarum ex pervetusto, primæque authoritatis codice Xu kim *dicto, quod & styli simplicitas, propria istorum temporum satis prodit.* Xu kim *porrò brevis Priscorum quorumdam Regum historia est, præclaris eorumdem documentis instructa. Nos autem claritatis gratiâ exponemus ea, quæ historici sunt generis, præter morem nostrum uberiùs aliquando, quàm Colaus ipse, qui pleraque vel præterivit hîc tacitus, vel verbo tantùm attigit, quod intelligeret Lectori suo esse notissima.*

Yao *Sinicæ gentis Legislator (de quo supra sæpius meminimus) & Imperator, si non primus, certè quidem celeberrimus, cœpit anno ante Christum 2357. & imperavit annis 100. Hic igitur nullâ filiorum suorum, domesticæque gloriæ habitâ ratione, sed unius dumtaxat virtutis ac sapientiæ, jam senior & resignaturus imperium in* Xun, *quem propter excellentem pietatis, obedientiæ, prudentiæque laudem diu antè ab aratro & stivâ, ad Imperii societatem quandam evocarat, hac ipsum oratione cohortatus sic ait:* O tu mi *Xun*, Cœlum decrevit Imperii successionem

existere in tuâ personâ. Cum fide fac apprehendas teneasque ipsum medium. Quatuor maria si laborent egestate & inopia; cœli census in perpetuum desinent.

Macte animis, (verba sunt Interpretis) *administer & socie laborum meorum & curarum. Adest jam tempus, ut in te unum curas omnes simul & honores resignem. Ego hoc imperium à cœlo quondam suscepi, & suum quoque Prisci Reges susceperunt. At nunc ejusdem nutu tibi defero: cœlo est obsequendum: Favebit hoc tibi, si tuis ipse faveris; si consulueris, inquam, saluti, commodis, & tranquillitati tuorum. Pondus gravè est, non inficior, res imperii; curæque sunt infinitæ. Sua tamen singularum propria quædam ratio & convenientia est, quam medium vocamus, excessûs omnis defectûsque impatiens. Hoc igitur tene: Ad hujus trutinam expende, & exige res omnes; si te tuosque vis esse beatos & florentes. quod si neglexeris consilium meum, & à media, quam dixi, via discesseris; ingruent procul dubio calamitates aliæ ex aliis; & omnis hæc regio, quæ intra quatuor maria continetur, fame & inopia rerum divexata, peccati tui pœnas dabit. Verum jam nunc ego tibi denuntio, daturum te quoque, & quidem gravissimas; atque adeo dignitate cælitùs collatâ in perpetuum spoliatum iri.*

Xun quoque verbis hujuscemodi ultima dedit præcepta *Yu*, *successori suo, in quem similiter resignavit Imperium, postquam id per annos quinquaginta feliciter solus administrârat. Erat & ipsi filius; neglexit tamen exemplo decessoris sui, & præcellenti sapientiæ, maximisque meritis ipsius* Yu, *qui ingentes aquarum eluviones derivârat in mare, Imperium deberi censuit.* Yu *porrò tametsi vestigiis amborum insistens, neglecto similiter filio, Imperium destinâsset Regulo* Ye, *sapientiæ famâ tunc celeberrimo: Quoniam tamen ad merita patris, virtus quoque ipsius filii imperio reverà digni accedebat; hunc, ubi vivere desit pater, omnino & populus & proceres imperare voluerunt: Ex quo cum dignitas Imperatoria ad filios deinde ac nepotes transierit; ipsi* Yu *tribuitur conditoris nomen; conditoris, inquam, primæ familiæ Imperialium* Hia *dictæ: quæ spatio annorum 458. numeravit Imperatores 17. ordine succedentes:*

Omnibus silentio præteritis, agitur sequenti paragrapho de Chim tam, *conditore ac Principe familiæ* Xam, *Imperiales inter Familias secundæ. Sed antequam textum prosequamur juvat hîc præmittere, quæ de ultimo præcedentis familiæ Imperatore* Kie *dicto in libro Regum seu* Xu kim *referuntur: sic enim ea quæ in textu nostro afferuntur, melius intelligentur. Maximè illustris est locus de impio* Kie *Principe quem affert Imperii primas &* Vu vam *Imperatoris frater* Cheu cum *in oratione ad eundem habitâ ubi sic ait:*

Audivi Priscorum effatum quod sic habet: Supremus cœli Imperator, dum dirigit homines placidè & quietè, non facit hoc per receptionem alicujus corporeæ vocis, sed cor hominis recipit quietam

quietam illam placidamque directionem, adeoque ferventer & sine interruptione operatur : Atque hæc supremi cœli Imperatoris interna directio, cum sit cœlitus & æqualiter omnibus indita, quo pacto Rex *Kie* ab eâ excipi poterat ? Sed enim Rex *Kie* sepeliverat; (hoc est pessumdederat) naturalem illam cordis bonitatem, neque ipsemet per se voluit sequi tacitam illam placidamque cœlestis Imperatoris directionem, nihilominus supremus Imperator serio verèque illum dirigebat, sed Rex *Kie* verè constanterque illam subterfugiebat respuebatque : Attamen supremus Imperator adhuc illum respiciebat & necdum illum à se rejiciebat penitùs, sed in illum calamitates immittebat & prodigia, ut suum illi manifestaret consilium & intentionem, sic quidem ut fragore quodam & veluti tonitru percelleret Regem *Kie* (*ut ita resipisceret)* sed Rex *Kie*, nequaquam noverat pertimescere aut percelli, neque voluit reverenter uti supremi Imperatoris voluntate ac favore, sed in scelera & luxus effrænis ruebat: & quamvis subinde verba quædam insultantia & illusoria (*aut ut alii*) simulata aut resipiscentis instar verba depromeret; tamen cœlum hujusmodi verborum rationem nullam habuit, & audire, contempsit tandemque magnum illius Imperium delevit, & ex alto demisit commeritas pœnas : atque ita Imperialis *Hia* familia finem accepit.

Ita Cheu cum *juxta Ethnicorum interpretum præcipuè* çai xin *expositionem. Urgebatur tamen in dies à populo & Regulis pius Princeps* Tam *octogenario major, ut se suosque tam acerbo & diuturno jugo impiissimi Regis* Kie *tandem exsolveret : Ipse autem, ut erat timens* A *supremum Numen ejusque mandatum adeoque non audens non eidem obtemperare hærebat perplexus & incertus quid ageret. Quare* Chum hoei, *aliique qui Principi à consiliis erant, eum de cœli voluntate securum reddunt:* B *à cœlo nimirum procreari populum cum affectibus suis, quibus si non sit qui dominetur, fore ut ruinam sibi & Imperio per seditiones accersat : Et ratiocinandi quidem vim, necnon judicii & ingenii* C *talenta in reliquis mortalibus à cœlo esse : ab hoc insuper ei gratuito* D *concessam animi fortitudinem ac prudentiam, qua liberare possit Imperium periculo ruinæ proxime jam imminentis : proinde obtemperet* E *cœli voluntati : Scire se equidem, eos, qui impie tractant spiritus,* F *& crudeliter populum, à cœlo diu non conservari ; eos vero qui venerantur* G *cœli leges, æternum*

A Ego timeo supremum cœli Imperatorem.

B Dumtaxat cœlum creat populum cum passionibus suis.

C Dumtaxat cœlum creat ingenii talenta.

D Cœlum equidem impertitur Regibus fortitudinem & prudentiam.

E Venerabundus obtempera cœli mandato ac voluntati.

F Eum, qui indignè tractat spiritus & crudeliter populum Regale, cœlum non conservat.

G Qui adoraverit & coluerit cœli le-

conservare propensam erga se cœli voluntatem: cui equidem cum se H *subjicere impius* Kie *detrectaverit, adeoque sceleribus scelera accumulaverit, per insignem vesaniam* I *volens fallere cœlum, cujus erga se favorem non defecturum temerè apud populum jactet; asseratque, se, tum demum cum Sol in cœlo desineret, desiturum; procul dubio cœli vindicis decreto, & ipsum jam nunc & familiam ipsius* K *exitio addictam videri. Nec ignorabat scilicet, cœlum non ex privato* L *quodam erga familiam* Xam *affectu & favore,* M *sed virtutis dumtaxat intuitu hoc suæ Familiæ Imperium contulisse: unicam scilicet purissimamque virtutem esse, quæ cœli tam* N *propensam erga se attraheret voluntatem. Exinde victrici vindicique Familiæ de parta jam pace & accepta à cœlo felicitate gratulantur omnes, sed & suis vicissim gratulatur ipsa domus Regia; prorsus enim ut à matre sua infantulus ita & à cœlo populus* O *benignis oculis & aspicitur & protegitur: diu utique beandus nisi ipsemet per nova scelera* P *optatos vitæ annos sibi abrumpat, & accersat calamitates: quæ non aliunde scilicet, quàm ab hominum sceleribus solent existere; eas enim cœlum infligit, ut* Q *manifestentur scelera: adeoque cum difficulter effugere quis possit ea mala quæ per* R *scelera sibi ultro accersit, dedamus nos virtuti oportet, nec relabamur in peccata, præcipuè cum, ut ita nos* S *geramus, cœlum ipsum novis identidem prodigiis nos admoneat revocetque ad frugem.*

gem, æternùm conservabit cœli voluntatem erga se (*ait ut alii*) cœlitus collatum Imperium.

H Supremum cœlum fideliter juvat subditum populum: impius verò homo ille (Rex *Kie*) excussit à se subjectionem.

I Familiæ *Hia* sunt multa scelera. Cœlum jubet ut extinguatur.

K Familiæ *Hia* Rex *Kie* patravit scelera fraudulenter illudens supremo cœlo.

L Dumtaxat cœlum non amat privatim: at eos qui cœlum debitè colunt, dumtaxat amat.

M Non est quod cœlum privatim faverit huic meæ familiæ *Xam*: dumtaxat cœlum adjuvat habentes puram virtutem.

N Qui possident unicam & puram virtutem, possunt in se recipere cœli cor ac voluntatem; & obtinere cœli perspicuum mandatum.

O Regale cœlum amanter aspicit ac protegit eos qui sunt Familiæ *Xam*.

P Omnino cœlum contemplatur subditum populum: ex iis quos indulget, annis, alii sunt æterni, alii sunt non æterni: at non est quod cœlum abbreviaverit annos populo, sed populum inter sunt qui per sua scilicet scelera abruperunt sibi vitam.

Q Cœli ratio ac lex est beare probos pessumdare improbos: ideo immisit calamitates in familiam *Hia*, ut palam Orbi faceret ejus scelera.

R Quas cœlum infert calamitates potest quis effugere: at, quas per sua scelera sibi quis fabricat calamitates, non potest evadere.

S Si populus non sequatur virtutem; nec subjiciat se correctioni sceleruſn, cœlum utique per portenta eum reverà admonet ut rectificet suum animum.

Tam *ergo Princeps postquam debellavit impium* Kie, *postremum Familiæ* Hia *Imperatorem profugum in* Nanchao *(ubi post triennium exul*

obiit maximo consensu studioque populi & sutraparum coactus imperium suscipere; jamque rediens ad aulam Po *in* Ho nan *Provinciâ sitam, ibi frequentissimis in comitiis, maximeque celebribus Imperii totius & universo populo orationem* (Tam cao *dicitur) sequentem pronunciavit, quâ facti sui dans rationem coram supremo cœlorum Imperatore, sic primum orditur :* O vos omnium terrarum incolæ universi clarè audite, & intelligite meum unius hominis monitum : Ex quo tandem fonte putatis profluxisse mortalium naturam quinque virtutibus, pietate, justitiâ, prudentiâ, fide, honestate instructam ? A principio nimirum solus iste augustus & supremus *(cœli)* Imperator dum procreare cœpit humanum genus de cælo contulit naturam istam, quæ medii rectissima norma est, in subditum sibi populum : quod si populus suæ naturæ tot donis instructæ pareat, fiet ut, quæ omnibus eadem indita est, perseveret immutabilis natura : ut autem possit populus placidè pacificeque vitam instituere ex illâ cælesti norma, dependet imprimis à personâ regiâ quæ suos assiduè hortetur exemplo, doctrina, rectaque administratione ad illius normæ observationem, &c. *Tandem coram cælo rationem facti sui reddens sic prosequitur :* Ego parvulus *Li (submissionis ac modestiæ gratiâ infantem se dicit, annorum septem & octoginta senex ; & humili domesticoque nomine suo*, Li *scilicet, utitur*) audeo adhibere nigri coloris hostiam taurum : (*niger color proprius erat Imperatoriæ hujus familiæ*) audeo etiam palàm ac manifestè rationem dare facti mei coram ter maximo & augustissimo cælorum Rege & Imperatore. (*Sive, uti Colai duo & dictionaria Sinica exponunt)* coram augustissimi cæli & complectentis omnia telluris spiritu. Graviter, ac multis peccatum fuit contra cælum ab Imperatore familiæ *Hia :* Non ausus fui ego condonare, seu non exigere justas pœnas. Viros sapientes ac bene meritos; adeoque cælorum supremi Imperatoris charos subditos & clientes non ausim ego occulere, & non palàm facere virtutes ipsorum ac merita; maximè quando ipsi singillatim conspicui sunt in Imperatoris supremi corde *(quæ verba sit exponit* Chu hi *)* bona & mala cælum omnia novit, ac si ordine suo notata numerataque haberet singula peccata : Prorsus sic videtur esse. Tu si quid habes boni, jam est hoc positum in supremi Imperatoris corde & animo : Ego si quid commisero mali, hoc item residet in supremi Imperatoris corde & animo. (*Prosequitur textus seu oratio* Tam *Regis)* Quod si ego ipsemet, pro humana imbecillitate crimen aliquod commiserim, jam nunc supplex obsecro & obtestor, ne fraudi sit damnove subditis ; neque habeant idcircò crimen omnes meæ ditiones : Me unum scilicet, qui unus in culpa sum, supremus Imperator plectat. Quod si quicumque ex omnibus meis ditionibus deliquerint aliquando, tum planè hæc delicta imputentur meæ personæ : Ea ego jam nunc unus ex-

pianda suscipio : Nec recuso pœnas ullas, ut qui unus omnium maximè sum reus, quando pravo exemplo meo, & prava administratione ansam peccandi omnibus præbui.

Et hactenus quidem Chim tam *Rex juxta Colai explanationem. Quantum vero fuerit ejusdem Principis erga cœlum seu supremum cœli Dominum relligionis studium cum insigni erga suos pietate conjunctum, hoc imprimis quod subjicere hic liceat ex annalibus exemplo mirifice confirmavit, quod hodieque scriptis & sermonibus omnium celebrari solet, & nos quoque voce & scriptis identidem afferimus ad politicæ genti persuadendum, non indignum fuisse divina & infinita majestate hominem fieri, & victimam spontaneam pro humani generis salute æternâ.*

Per septem annos (inquit textus) prægrandis siccitas, extitit scilicet. (*An fuerit fames Ægyptiaca quam testantur sacræ litteræ* in universo orbe prævaluisse *gen.* 41. *Chronologis discutiendum relinquimus*). Is qui Astronomicæ rei præfectus erat, significat Regi, non jam vitulorum aut ovium sanguine (*ut moris erat*) sed humano dumtaxat placari cœlum oportere, si quidem tantis malis remedium ultimum quæreretur. Cui Rex : Ego, inquit, cœlum deprecari volo pro meorum salute & vita : Quod si hanc ipsis adimens humanum effundam sanguinem, utique jam mihi ipse adversabor : Quin potiùs, ut saluti meorum consulatur, ego unus sim victima. Nec mora : Sacrificium sui cœlo facturus priùs in secretiorem locum, de more, sese abdens per triduum jejunat; ac dein venerandam capitis sui caniticm nonagenario jam major, & unà barbam radi, atque ungues præscindi jubet, summi scilicet luctûs indicia : Ad currum deinde bigas albi coloris (*lugentium is est*) jungi imperat : ipse ovinis indutus pellibus currum conscendit; totaque aula pari cum luctu comitante ad locum *Sam lin* (hoc est, mororum sylvam dictum) contendit : Hîc pro salute sui populi & Imperii, cœlo futurus victima, collem subit; subit autem, quo victimæ videatur similior, manibus pedibusque reptans (*ut aliqui scribunt*) hinc sublatis in cœlum oculis supplex idem precatur, ne ob suos unius in regendo defectus, populi totius salus & vita in discrimen veniat : Exinde sibi uniquidquid fortè peccatum fuerit adscripturus, & ad quasvis paratus pœnas, de sex rebus præcipuè (*quæ* 24. *litteris continentur*) ex cœlo quæsivit. 1. An fortè sua gubernandi ratio careret debita moderatione & æquitate ? 2. An suo deessent officio subditi ? 3. An sumptus in Palatium & rerum ad hoc spectantium essent immodici ? 4. An à fœminis gynecæi sui luxu vestium & modestiæ neglectu peccaretur ? 5. An munera in judiciis, an item fraus & avaritia in commerciis regnarent ? 6. An in Festis & Cantibus detractioni cuipiam aut morum corruptelæ daretur ansa ? Memorant autem Scriptores omnes rem sanè dignam admiratione ; fari scilicet vix desiisse pium Principem

cipem, cùm repentè magnus cœlo imber decidit, qui quidquid erat Sinici Soli per aliquot leucarum millia (Sinicarum intellige) largissimè rigarit : quam pluviam magna deinde fertilitas mox consecuta sit. Porrò de hoc tam memorabili & optato successu musicam instituit ipse Rex *Ta hoe* dictam, quod idem sonat ac magna protectio, seu magnum quid à cœlo videlicet obtentum.

Contigerunt hæc cycli 76. anno 38. hoc est, anno ante Christi æram 1756. imperantis verò Chim tam *anno septimo, ætatis verò suæ 94. & ante obitum septimo. Bina hæc oratio tam clementis ac pii Principis, centum annis & amplius ante Moysen & legis tabulas; tot verò ante Christum annis coram omni populo pronuntiata & conscripta, num parum clarè testatur, quàm viguerit tunc temporis in hoc ultimo Oriente naturæ lex; & notitia venerationque supremi Numinis; de cujus justitiâ providentiâque delictorum quorumvis conciâ tam præclarè sentit ac loquitur iste Princeps? Eant nunc, & nihil ipsum agnovisse dicant præter inanem mutumque aërem aut influxum inanimem, aut cœlum illud quod conversione suâ diem noctemque conficit, qui putant tantum fidei tribuendum esse Atheis quibusdam & verè cœcis ac infidis interpretibus, qui imperante familiâ* Sum *ordine decimâ nonâ; adeoque septingentis circiter ac bis mille post annis, quàm pronuntiata ista fuerint, corruperunt impiissimis erroribus priscam veritatem; & luci tam candidæ avernales tenebras effuderunt. Sed ad textum, unde longius digressi sumus redeamus.*

p. 2. §. 1. A secundâ familiâ descendit ad tertiam *Cheu* dictam, cujus normam administrandi Imperii copiosè depictam in libro *Xu-kim*, paucissimis hîc verbis attingit. Fundator hujus familiæ fuit *Vu vam*, qui imperare cœpit anno ante Christum 1122. Non aliâ familiarum Imperialium florentior istâ fuit, sive cultum spectes, & majestatem, sive Principum & annorum numerum. Annos certè numeravit 873. Imperatores vero 35. Princeps ergo, quem dixi, totius familiæ, *Vu vam*, postquam debellato impio *Cheu* (cum quo tandem occidit secunda familia) suscepit Imperium communibus populi procerumque suffragiis sibi delatum; item post vota, solemniaque sacrificia Imperatori cœlorum, reliquisque spiritibus terrarum præsidibus rite persoluta (uti pluribus refertur in libro *Xu kim* 6. & 7.) Primùm quidem arma omnia, machinasque bellicas collegit ac reclusit; tum custodias & carceres pandi jussit, ac reos criminum dimitti: Omni denique studio & industriâ conatus fuit opitulari populo, fame, inopia, variisque calamitatibus laboranti: Eos interim quorum insignia quædam extiterunt merita, maximis augens honoribus opibusque; sic ut verissimè dici queat, quod domus hæc Imperatoria *Cheu* in exordio & fundatore suo habuit quidem, exercuitque erga omnes omnium suarum ditionum homines magnam & inusitatam liberalitatem & beneficentiam. At longè tamen maximam

erga eos omnes, qui à fide, probitate, sapientiaque maximè commendabantur. Itaque optimus quisque tunc fuit ditissimus; amplissimis, inquam, honoribus, amplissimoque censu instructus & ornatus.

§. 2. Verba sunt *Vu vam* Imperatoris: Quamvis, inquit, dentur complures admodum propinqui familiæ *Xam*, quibus adeò jure quodam stirpis Regiæ, primæque nobilitatis deberi videntur præcipua quæque munera & dignitates: quoniam tamen plerique eorum non sunt comparandi cum aliis, iisque plurimis è familiâ nostrâ *Cheu* spectatæ fidei, probitatis, sapientiæque viris; certum mihi est hos, potiùs, quam illos adhibere consiliarios & administros rerum mearum. Instructus autem præsidio tot optimatum, si nihilominus mihimetipse defuero, nec pœnas expetivero de impio *Cheu*, nec insolentiam assecularum ejus, licentiamque, uti par est, compressero; tum certè non unius tantùm inertiæ socordiæque reus agar: Sed & multitudo subditorum meorum quicquid peccaverit; tribuetur id uni mihi vel maximè; labesque & damna totius corporis, in meum unius caput justissimè recident.

§. 3. Is ergò cùm teneretur adeo salubri curâ & metu; nec ignarus esset, quantum vitii irrepsisset in Rempublicam; ante omnia plurimum studii vigilantiæque posuit in ponderibus ac mensuris ad æquitatem normamque pristinam revocandis. Examinavit item leges omnes & constitutiones, tam eas quibus officia, ritusque & jura civium, quàm quibus res, artesque Musicæ continebantur. Ad aulam quoque & dignitatem pristinam revocavit erexitque dejectos & afflictos sub impio *Cheu* Præfectos Urbium & Provinciarum; atque ita renovatis & constitutis præclarè rebus, quatuor regionum, id est, totius Imperii administratio optatissimum cursum habuit.

§. 4. Idem restauravit extinctas ab impio *Cheu* satrapias, legitimisque Dominis restituit. Revocavit ac perpetuare instituit per vetustas ac nobiles, sed jam succisas ac propè deletas Priscorum Principum prosapias ex stirpe nobilissima *Hoam ti* conditoris Monarchiæ Sinicæ; nec non Legislatorum, *Yao* scilicet, *Xun* & *Yu*, & Principibus familiæ *Xam* proximè præcedentis, oriundas. Quorum omnium posteros dynastiis ornatos, amplo quoque censu locupletavit; revocatis etiam variis dignitatum titulis, *Heu*, *Cum*, *Pe*, *çu*, *Nun*; hoc imprimis agens, & vehementer optans; ut tam illustris maximorum hominum progenies non tantum ipsa quàm diutissimè floreret; sed memoriam quoque majorum suorum maximo cum splendore, & usitatis cum officiis muneribusque parentalibus ritè pieque conservaret; adeoque mortuis quoque parentibus, filiorum tamen pietas & observantia semper viveret ac perennaret. Erexit præterea admovitque gerendæ Reipublicæ jacentes ac latitantes viros virtute

ac sapientiâ insignes; sed qui ultrò dignitati suæ renunciantes, ex superiore illâ tempestate perturbati Imperii, ad otium privatæ vitæ, ceu portum, cauti perfugerant. Hunc autem in modum constitutis optimè rebus Imperii totius, populus subditus sese ultrò, & ex animo; eòque promptiùs voluntates suas ac studia cum studiis optimi Principis omnes conjunxere, quò feliciùs sibi cum illo jam convenire, ceu membris obsequentissimis cum dilecto capite, intelligebant.

f. 8. p. 1. §. 1. Ad extremum quæ circa populi sui gubernationem valde cordi habuit memoratus Imperator, & magni ponderis ac momenti esse duxit, tria fuerunt: Subditorum annona, ut semper affatim esset earum rerum, quæ vulgo sunt ad vitam sustentandam necessariæ: funera & exequiæ, ut debito ritu modoque peragerentur: Parentalia denique, seu honores funebres & solemnia quædam fercula statis anni temporibus in memoriam defunctorum parentum ac majorum offerri solita; quibus admonerentur filii gratæ pietatis & observantiæ erga parentes etiamnum superstites, quando videbant eam erga progenitores jampridem demortuos tam accuratè soliciteque exerceri.

§. 2. *Expositâ breviter eâ gubernandi methodo, quam tenuerant* Yao *&* Xun *duo gentis Legislatores, necnon* Yu, Tam, Vu, *conditores trium familiarum Principum, penes quas per tot sæcula summum jus fuit; concludunt tandem, eos pro ratione quidem temporum aliquantulum inter se mutuo discrepasse; verumtamen in studio & arte tuendi suos & conservandi amplificandique Imperii, & in substantiâ ipsarum rerum, fuisse quàm simillimos. Complectuntur autem similitudinis hujus summam quatuor litteris, quibus totidem virtutes Regiæ exprimuntur.* Sic aiunt igitur: Princeps si munificus ergà suos, si magno liberalique animo fuerit, cœli instar protegens, & complectens omnes, & telluris instar sustentans, nihil interim faciens inclementer, avarè, sordidè: tum is obtinebit omnes; omnium scilicet admirationem, amores omnium, & studia, & voluntates. Si fidem servet ac veritatem, ab omni fuco, mendacio, fraude semper alienus; tum subditi sine ullo metu vel cunctatione innitentur ipsi, & se suaque incorruptæ fidei Principis committent. Si vigilans, impiger, sedulusque fuerit in avertendis damnis publicis, & commodis suorum procurandis; nec quidquam unquam negligat aut contemnat; tum habebit felicem exitum & perfectionem rerum, quascumque tandem suscipiet; amantissimis vicissim subditis, quidquid operis publici fortè Imperatum fuerit, impigrè, sedulò, constanter perficientibus. In exigendis pœnis & præmiis conferendis, si rectus, si æquus omnibus fuerit, nec quidquam tribuat privato vel odio, vel amori, tum gaudebunt subditi, & æquissimo Principi omnibus in rebus alacriter ac promptè

morem gerent. Et hæ quidem dictorum quinque Principum fuerunt artes, hi nervi, hæc firmamenta, quibus Imperii tanti molem tam feliciter ac diu sustentârunt. Quidquid autem à folio septimo hucusque commemoratum est à discipulis *Confucii*, eo potissimum fine est commemoratum, ut posteris constaret, doctrinam magistri sui, quam ipsi maximè propagatam volebant, à placitis & institutis priscorum Legislatorum *Yao Xun* & Regum minimè discrepasse.

§. 3. Discipulus *çu cham* quæsivit ex *Confucio* dicens, quâ ratione quispiam poterit rectè administrare Rempublicam, *Confucius* respondit: Qui magni facit quinque bona, & qui removet quatuor mala, is poterit rectè feliciterque administrare Rempublicam. *çu cham* rursus ait: Ecquæ dicuntur illa quinque bona? *Confucius* respondet: Gubernator Reipublicæ beneficus sit, & tamen nihil expendat, absumatve. Subditis oneri sit, & tamen non sit odio: Desideret, & tamen haud expetat cupidè: Sit magnus, sit beatus ac florens; & tamen non efferatur superbiâ & fastu: Severus & gravis sit; & tamen non sit asper & truculentus.

p. 2. §. 1. *çu cham* Laconico Magistro responso non satis percepto; inquit, ecquid, obsecro, significat illud, beneficus sit, & nihil expendat. *Confucius* respondet: Constanter obsecundare, & favere iis rebus & artibus quæ subditis lucro sint, commerciis & Agriculturæ scilicet, aliisque hujuscemodi, & sic eorum lucra procurare; solerter tuendo & conservando communia illa cœli terræque beneficia: quo tandem fiat, ut magna sit ubique annonæ vilitas & rerum copia: Hoc nonnè reverà est esse beneficum & tamen nihil expendere vel privatæ rei vel publicæ? Similiter si habeas delectum eorum qui pares sunt ferendo labori & oneri; & oneres illos dumtaxat; si habeas, inquam, justam & accuratam rationem loci, temporis, ætatis, & virium cujusque ac facultatum, quotiescumque imperandum est aliquid oneris operisve publici; ecquis tunc oderit vel imperata, vel imperantem? Quæ juris alieni sunt, appetere, nefas ac turpe est: At vero si desideres expetasve veram virtutem, adeoque si tam laudabiliter expetitam, feliciter adipiscare veram illam virtutem expleasque deinde numeros illius omnes; quomodo vitiosè cupidus sis, aut censeri talis queas? Si Princeps interflatus illos tam secundos fortunæ faventis constet sibi ipse, & non attendat magnoperè ad frequentiam suorum, vel paucitatem, ut hanc scilicet aspernetur, illi deferat aliquid: Rursus si non attendat magnoperè gravisne sint momenti an parvi res eæ quas habet perficiendas; sed pari ferè cura res æquè minimas atque maximas constanter tractet; nullusque sit, quamvis humilis & abjectæ conditionis homo, quem audeat habere despectui; qui hoc modo sibi imperet, seseque contineat, nonne quamvis multâ pace, opulentiâ

tiâ, gloriâ beatus ac florens sit; tamen haud efferetur superbiâ? Gravitas denique & severitas, si quidem modo careat, facilè degenerabit in odiosam asperitatem & truculentiam: At verò si Princeps alienus ab omni affectatione hic fuerit mediocritate quâdam contentus, ex. gr. Si graviter ac decenter compositam gerat suam ipse vestem & pileum; si modestiâ quâdam reverentiâque imbuat suum ipse os oculosque; si in omni motu, gestu, statuque corporis decorum servet; procul dubio cum reverentiâ planè singulari homines universi contuebuntur eum ac verebuntur: Hoc autem nonne est severum esse ac gravem, & tamen non esse asperum & truculentum?

§. 2. *çu cham* rursum quærit: Ecquæ dicantur quatuor mala, quæ vitare debeat ac removere ab se, quisquis administrat Rempublicam. *Confucius* respondet: Non docere subditos accuratè quæcumque sunt juris publici, & officii singulorum; & interim si fortè die quopiam deliquerint; illicò punire miseros, & prorsus inclementer occidere: Hoc enimverò dicitur tyrannidem exercere. Ubi quid operis operæque publicæ exigendum est, non ante præmonere subditos, & præparare quodammodo, quo commodiùs ordinatiusque res fiant; sed obruere miseros derepentè, & in ictu oculi videre velle præscriptum opus perfectum & absolutum; inclementer instando operis, & moras omnes severè castigando; Hoc enimvero dicitur crudelis violentia. Cunctanter frigideque imperare subditis opera publica; deinde verò repentinâ acceleratione contrahere præstitutum antea temporis spatium, ferociter & inexorabili cum severitate eadem exigendo: Hoc meritò dicitur latrocinantis instar, & velut ex insidiis opprimentis incautos, sic suis esse damno. Denique sordidum & illiberalem esse, ex. gr. Certo quodam modo se gerere cum dandum quidpiam est aliis, ex. gr. cum sua militibus persolvenda sunt stipendia, suum operariis operæ pretium, sui census & honores conferendi sunt aliis: Avarâ scilicet lentâque & invitâ manu, nunc promentis & porrigentis instar, nunc reposcentis ac retrahentis hoc ipso quo dat, sordes avaritiamque prodere; tametsi detur tandem aliquando, quod jus cujusque postulat; quoniam tamen sic datur, ut videatur extorqueri veriùs, quàm dari; jam istud nec gratias quidem meretur, quod animo datum liberali, magni muneris fuisset instar; adeoque non est hoc agere Principem, sed merito dicitur infimæ cujusdam notæ ministellum esse ærarii publici.

f. 9. p. 1. §. 1. *Confucius* aiebat: Qui non sit, adeoque nec credit dari cœli mandatum & providentiam, id est, qui non intelligit & credit prospera & adversa, vitam & mortem, &c. à cœli nutu consilioque pendere. (Vel, ut exponunt alii, qui non cognoscit lu-

men rationis cœlitùs indium esse mortalibus, ad quod vitæ suæ rationes omnes componat, & quæ prava sunt, fugiat, quæ recta, prosequatur: Vir hujusmodi profecto non habebit quo evadat probus ac sapiens: quin imò multa committet homine indigna, dum quæ illicita sunt, vel supra vires suas, consectabitur, vel iis malis, quæ frustra conabitur effugere, succumbet.

§. 2. Quisquis ignorat decorum cujusque rei & modum, necnon ritus officiaque civilia, quæ societatis humanæ vincula quædam sunt, ac proprium cujusque hominis decus & firmamentum, non habebit is, quo erigatur aut evadat vir gravis & constans, & sibi aliisque utilis: Labetur enim assiduè, fluctuabit incertus, & ipsius quoque virtutis, si quam fortè adeptus est, jacturam aliquando faciet.

§. 3. Lingua cordis index est; nec raro quidquid in toto latet homine, brevis ejusdem prodit oratio. Quocirca quisquis non intelligit sermones hominum, sic ut aptè discernat quàm rectè, quàm perperàm quid dicatur, non habebit quo perspectos habeat ipsos homines; errores illorum scilicet, indolem, consilia, facultates.

Porrò quisquis hæc tria, cæli, inquam, providentiam, rerum modum, ipsos denique homines probè cognoverit, itaque vixerit, ut huic cognitioni vitâ moribusque respondeat; is omnino dici poterit partes omnes rari sapientis, & qui longè supra vulgus emineat, expleviſſe.

Atque hic tandem finis est trium librorum Scientiæ Sinicæ quorum explanationi è Sinico vertendæ in Latinam præcipuo quodam studio ac labore communi quatuor sociorum, otium ii fecerunt, qui nos quartum jam annum ab anno 1686. detinuerunt in Cantoniensis Provinciæ exilio, ac cessare coegerunt maximè invitos à propaganda doctrinâ longè sublimiori, quæ quidem una lux mundi est, & sine quâ, scientia omnis & doctrina, mera caligo est & ignorantia. Author porrò trium librorum censetur Confucius, tametsi continentur iisdem libris non pauca vel à discipulis ipsius effata, vel à coætaneis eidem Philosophis; virisque Principibus; vel à primis etiam gentis Regibus; priscisque sapientibus pronunciata: è quibus alii sexcentis vixerunt annis ante ipsum Confucium, ubique adeò Romana principia; annis mille alii; quidam etiam annis circiter mille septingentis, quâ quidem dignos esse Sinas haud minùs quam nationes alias, ii facile judicabunt, qui expendent æquo animo gentis industriam, fidem, diligentiam, quâ consuevit res suas ab omni retrò ætate literarum suarum monumentis commendare; & quidem per suas 60 annorum periodos, uti patebit ex tabulâ Chronologicâ quam huic operi placuit annectere cum trium principum familiarum (quarum in præfatis libris iterata fit mentio) tabula quoque genealogica. In versione autem nostrâ scientiæ Sinicæ consultò multa contraximus; & quamvis subinde videatur copiosior explanatio, sciat Lector nequaquam esse cum ipsius Interpretis

Cham Colai, quem præcipuè sequimur, ubertate copiâque comparandâ. Et hujus quidem vestigiis, sicut alibi jam significatum est, constanter insistimus: Itaque, si excipiantur ea quæ vel eruditionis gratiâ vel claritatis ex aliis ejusdem gentis Authoribus interseruimus, reliqua sunt Interpretis nostri; tota inquam paraphrasis unius Colai est, sententiæ Colai omnes, quas adeò nemo suspicetur Europæi esse hominis, quamvis sint Europæo sermone ac stylo, quin & ipsis quandoque Europæorum Philosophorum sententiis, verbisque expositæ. Non inficior tamen esse non pauca, quæ meritò censeantur esse vulgaria, ne dicam frivola; procul dubio prætermitenda, si nos soli laboravissemus oblectationi Europæorum. Sed enim jam satis disertè significavimus in ipso operis limine, iis potissimum hæc scribi, quibus in hanc Christi vineam concessuris, &, uti speramus, deinceps in eâ laboraturis. Quamquam par est etiam nos meminisse, non ejusdem esse palati mortales omnes; & multa, quæ Europæi fastidiant, huic genti esse in deliciis. Quid insuavius homini Europæo calidâ potione? Hâc tamen sic delectantur Sinæ, ut per æstivos quoque dies haud abstineant. Sinensium musicam respuunt ferè aures nostræ: At illos vicissim in musica nostrate discors illa vocum concordia, si non offendit, parùm certè oblectat. Itaque pari ferè modo, quod ad sermones sententiasque spectat, habet leporem suum & gratiam in Chinâ, quod idem in Europa risum propè stomachumque moveat. Utcumque tamen res habeat, non poterit non fateri æquus Lector, multa hic esse, quæ nunc quoque suum mereantur pretium vel in Europâ: Nec dubitabit præclaram fuisse vetustissimæ Monarchiæ administrationem, quotiescumque illa, quæ hîc traduntur, sive pie recteque vivendi, sive Regni probè administrandi præcepta, viguerunt.

Sequitur nunc Scientiæ Sinicæ Liber quartus, sive Mem çu *dictus, Sinarum Philosophus secundus qui uno pòst* Confucium *sæculo vixit. Constat septem partibus seu capitibus ejusdem opus, operi* Confuciano *molem si spectes, omnino par, superius etiam quodammodo, si dumtaxat attendas ad ingenium & copiam, facundiamque auctoris: doctrinæ tamen integritate, & Priscâ simplicitate illâ, necnon arcanâ quadam sublimitate, quam in* Confucio *suo tantopere mirantur Sinæ ac deprædicant, meritò postponendum.* Mencium *igitur, Deo favente, in lucem Europæam producemus, si quidem intelligamus, suum qualemcumque locum & approbationem in hoc eruditissimo sæculo, & amplissimo omnium scientiarum theatro obtinuisse* Confucium.

Finis Libri tertii Lun yu.